Nõ ens ſimpliciter eſſe non poteſt, neque eſſentiam attingere.

ſit,nulla ex parte eſt eſſentiæ capax? Abſolutè id ſignificat. Neque ergo eſſe ipſum non ens poterit,neque alio quoquam modo eſſentiam attingere. Minimè.Fieri autem & interire,vnum aliud eſt,quàm illud quidem eſſentiam accipere, hoc autẽ amittere:Nil aliud. Ergo cũ nulla huius pars cõuenire poteſt, nunquam aut accipit ipſam, aut amittit. Nunquam. Vni ergo poſtquam nullo modo eſt, neque nanciſci,neque abiicere,neque alio pacto eſſentiam capere conuenit. Decens eſt. Non itaque interit ipſum vnum,cùm non ſit,neq; ſit,vt pote quod nulla ex parte eſt eſſentiæ capax. Non videtur. Neque rurſus aliquo pacto alteratur. Iam enim & fieret, & periret,ſi hoc pati poſſet.Verum. Si minimè alteratur, an non etiam neceſſe eſt nequaquam moueri? Neceſſe. Neque tamen ſtare alicubi quod nullo modo eſt, aſſeremus: quod enim ſtat, in aliquo eodem ſemper eſſe oportet. Quídni? Sic planè ipſum non ens,nunquam aut ſtare,aut moueri fatebimur. Nunquam. Præterea nihil ex iis quæ ſunt, illi adeſt. Iam enim eſſentia participaret,vt pote quod alicuius exiſtentis eſſet particeps. Manifeſtum eſt.Non magnitudo igitur illi, non paruitas, non æqualitas accidit. Non profectò. Sed nihilo magis ſimilitudo, aut diuerſitas illi,vel ad alia,vel ad ſeipſum aderit.Nequaquam videtur.Num & alia vllo modo illi eſſe poterunt, quum nihil prorſus ipſi eſſe queat? Haud licet. Quapropter alia non ſimilia illi, non diſſimilia, non eadem , non altera ſunt. Non ſanè. An verò ipſum quod illius, vel ipſum quod illi,vel quid,vel hoc,vel huius,vel alterius,vel alteri,aut quondam,aut deinceps,aut nũc, ſeu ſcientia, ſiue opinio,ſiue ſenſus,an ſermo,an nomẽ,an aliud quoduis ex iis quę ſunt circa ipſum quod minimè eſt,exiſtet?Minimè. His igitur rationib. vnum ſi non eſt,vllo prorſus modo aut vſquam ſeſe habet. Non ſanè videtur vllo modo, aut vſquam ſeſe habere.

Suppoſitio octaua.

EStne iterum diſputandum,vnum ſi non eſt,quid aliis præter vnum euenire oporteat? Diſputandum. Primùm igitur iſta alia , aliquid eſſe oportet. niſi enim alia ſint , haud ſanè de ipſis aliis diſſereretur.Sic eſt.Et ſi de aliis ſermo ſit,alia profectò altera ſunt. an non idem tu aliud & alterum vocas? Equidem.Alterum nónne ab altero alterum, & aliud ab alio aliud eſſe dicimus?Vtique. Ergo ipſis aliis ſi modò alia futura ſunt , aderit aliquid à quo alia erunt. Neceſſe.Quidnam id potiſſimum erit?Ab vno quidem alia non erunt,cùm illud minimè ſit,Non certè. Inuicem itaque alia ſunt, id enim ſolum reſtat: alioquin à nullo alia futura ſunt. Rectè. Idcirco ſecundum multitudines ſingula inuicem alia ſunt. Etenim ſecundum vnum nequeunt, non exiſtente vno. Verùm quilibet, vt videtur, aceruus illorum multitudine infinitus exiſtit. Et ſi quod minimum apparet,quiſpiam ſumpſerit, velut in ſomno repente pro eo quod vnum viſum fuerat, multitudo occurrit: & pro eo quod minimum apparuerat,quàm maximum iam ſi ad illa diſſecta conferas, apparet. Rectiſſimè. Talibus, inquam, aceruis diuerſa inuicem alia præter vnum erunt, ſi non exiſtente vno, alia ſunt.Quàm maximè.An nõ plures acerui erunt, quorum quilibet vnus prima fronte videbitur,nullus tamen vnus erit, cùm ipſum vnum minimè ſit? Certè. Numerus item illorum aliquis eſſe videbitur:ſi quidem & vnum quodlibet,cùm tamen multa, ſunt. Valdè quidem. Paria præterea & imparia falsò videbuntur,vno prorſus abſente? Falsò. Quod inſuper exiguum in illis primò videbitur,vt dictum eſt,è veſtigio quàm maxima,& quàm plurima quo ad ſingula parua , quæ etiam multa ſunt, ſe nobis oſtentat.Quid prohibet?Quinetiam aceruus quiſque æqualis multis paruiſq; aceruis eſſe videbitur. Nam haud liquidò ex maiori in minus tráſiſſe videretur, niſi prius in medium perueniſſe viſus eſſet,hoc autẽ phátaſma quoddam æqualitatis erit.Veriſimile eſt. Nónne ad alium aceruum terminum habẽs, ipſum ad ſeipſum neque principium,neq; medium,neque finem habet? Qua de cauſa? Quia ſemper cum quis horum aliquid intelligentia contuetur,ante principium ſemper aliud occurrit principium : & poſt finem alter ſemper finis ſubſequitur : nécnon in medio,alia ſemper anteriora, quàm medium, ſempérque minora , ob id quia nequit vnum aliquid in his accipi,cùm vnũ minimè ſit.Veriſſima loqueris.Diſcerpi deniq; neceſſariò arbitror,vt diſperſum,quodcunque intelligentia quis aſſumpſerit:ſemper enim aceruus vnius expers accipitur. Proculdubio. Nónne hoc tale eminus & obtuſe proſpicienti vnum apparet?Neceſſe. Cominus autem & acutè intelligẽti vnũquodque multitudine infinitũ:ſiquidem ab vno non exiſtẽte deſeritur.Prę cæteris neceſſarium hoc eſt.In hunc itaque modũ infinita & finẽ habentia,& vnũ,& multa quælibet alia apparere oportet, ſi non vnum,ſed alia præter vnũ ſunt. Oportet vtique. An non ſimilia quoque & diſſimilia videbũtur? At quomodo?Nam cùm velut adrumbrata eminus proſpicienti vnum,appareát omnia,in eodem aliquo communicare,ſimiliáque eſſe videbũtur.Prorſus.At verò propius accedenti,multa & altera,atque ipſo diuerſitatis phantaſmate altera ſibiipſis & diſſimilia. Sic accidit.Similes item atque diſſimiles ipſos aceruos tum ſibimet,tum inuicem apparere neceſſe eſt. Et maximè quidem. Nónne etiam eoſdẽ & alteros inuicem,& cõtiguos ſibi,& ſeorſum à ſeipſis,omnibúſque motibus agitatos,& vndique permanentes, orientes & occidentes,ac neutra,omniáque huiuſmodi , quæ quidem percurrere facile nobis eſſet , ſi vno non exiſtente multa fuerint? Veriſſima narras.

Nona ſuppoſitio.

REdeuntes iam iterum ad principium , declaremus,vnũ ſi non eſt,quidnam aliis præter vnum euenturum ſit. Declaremus. Principiò igitur vnum alia nõ erunt. Quomodo enim?Neque tamẽ multa. In iis enim quæ multa ſunt,ineſt & vnum.Etenim ſi nullum illorum eſt vnum,cuncta nihil ſunt,quapropter néque multa.Vera loqueris.Cùm itaque vnum haud inſit aliis,nec multa,nec vnum ſunt. Non planè.Neque etiam apparent vnũ,aut multa.Curnam? Quoniam alia cum iis, quæ nõ ſunt, nullum prorſus commmercium habẽt,neque quicquam ex iis quæ minimè ſunt, ad aliquid aliorum attinet:nam nulla pars iis quæ non ſunt, adeſt. Verum. Neque igitur opinio de eo quod minimè eſt, nec phantaſma cæteris, ineſt, neque vllo modo id quod nõ eſt,ab aliis opinione concipitur.Nõ certè.Quapropter ſi vnum non eſt,nihil aliorũ opinione concipitur,aut vnum, aut multa eſſe. Nam abſque vno multa opinari penitus impoſſibile.Impoſſibile nimirũ.Ergo ſi vnum non eſt, alia neque ſunt, neque opinione etiam cogitantur vnum,aut multa eſſe. Non videntur.Vnde neque ſimilia,neque etiam diſſimilia.Non. Neque etiam eadẽ,aut altera,neque cõtigua,neq; ſeiuncta, neque reliqua quotcunque in ſuperioribus táquam quæ ad ipſa alia ſpectare viderẽtur,enarrauimus,neque ſunt alia,nec eſſe alia videntur,vnum ſi non eſt.

Vera.Nónne,vt ſummatim loquar,ſi dixerimus, vnum ſi non eſt, nihil eſt,rectè dicemus? Et maximè quidem. Hoc itaque dictum à nobis ſit, atque illud prętereà,quod vt videtur,vnum ſiue ſit,ſiue non ſit, tum ipſum,tum etiam alia,& ad ſeſe,atque inuicem omnia omnino ſunt atque non ſunt, apparéntque inſuper,& non apparent.Veriſſima quidẽ hæc ſunt.

PHILEBVS PLATONIS, VEL, DE SVMMO BONO.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

Summum bonum.

HVius libri propoſitum eſt,de ſummo animæ bono diſſerere,quod quidem ſummum bonum , cum conditione quadam dicitur,cùm ipſum rerum omnium principium ſummum bonum abſolutè dicatur. De hoc igitur , quod cum conditione bonum, hoc in libro:de eo quod abſolutum,in Parmenide diſputatur. Ab abſoluto autem hoc manat, quemadmodum lumen quoddam ab ipſo luminis totius fonte dependet. Quamobrem in Phædone & Theæteto dictum eſt à Platone ſummum animæ bonum Dei ſimilitudinem eſſe. Nihil verò ſoli fit ſimile, niſi quadam luminis ipſius infuſione. Vnde & animæ bonum erit integra diuini luminis conſecutio. Id lumen in mentem primò , in voluntatem deinde deſcendit. In mente veritas, in voluntate gaudium : in mente ambroſia, in voluntate nectar,à Platone hîc & in Phædro cognominantur. Itaque ſummum hominis bonum in ſapientiæ voluptatiſque mixtione locauit.Sed antè in ſola vel ſapientia,vel voluptatis ratione beatitudinem conſiſtere poſſe negauit , ex eo quod triplex boni ſummi conditio in neutro reperiatur.Ea eſt,vt ſummopere perfectum ſit,& ſufficiens,& expetendum.Perfectum, quia nihil ſibi deeſt.Sufficiens,quia nihil deeſt illi quod ipſum capit. Expetendum,quia in illo & ex illo eſt,quicquid appeti poteſt. Vnde quia perfectũ,ſufficiens:quia ſufficiẽs,expetendũ. Sanè quia ſibi ſat eſt,alteri ſufficit:quia ſufficit alteri,deſideratur ab altero. Hæc neq; ſoli ſapientiæ,neque voluptati,ſed mixto cuidam ex vtraque competere demonſtrantur:vbi de voluptatis & ſapientiæ genere, origine, atque natura permulta dicuntur,de infinito & termino,de compoſito & compoſitionis principio. Ac demum concluditur ſummum in natura bonum,& abſolutum,eſſe menſuram vniuerſorum,hoc eſt totius naturæ principium. Summum verò bonum mentis & animæ eſſe illius primi poſſeſſionem,quæ mixtioni ex ſapientia & voluptate per veritatem,commenſurationem,& pulchritudinem conuenit. Quapropter in primo bonorũ gradu rerum omnium menſura ponitur:in ſecundo veritas, commenſuratio,pulchritudo:in tertio mens,ſapientiaq;:in quarto ſcientia,ars,& opinio : in quinto temperata voluptas. Beatuſq; vir dicitur, qui & ſapientiam diuinorum adeptus eſt , & humanorum peritiam, ſcientia quadam & arte & opinione conſtantem , gaudio contemplationis totus exultat , voluptati ſenſuum eatenus ſe committit , quatenus ſapientia ſcientiaq; & gaudium impedimentum inde nullum accipiunt. Introductio ad dialogum eiuſmodi eſt. Cùm multa de ſummo bono vltro citroq; Socrates Philebuſq; contuliſſent , atque eſſet Philebus iam diſputando defeſſus , Protarcho nuper aduenienti gratulatus eſt , annuitq; , vt prouinciam in diſputando ſuam ſuſciperet. Protarchus vtpote adoleſcens ſubitò eſt aſſenſus. Ad quem conuerſus Socrates , Conſidera , inquit , quam tutelam ſuſcipias , neque temerè ad diſputationem properes. Imò audi vtriuſque ſententiam prius,& eam quæ tibi rectâ ratione examinanti probabilior apparet,accipe defendendam.Sed iam ad dialogum veniamus.

Ambroſia. Nectar. Summũ bonum in ſapientiæ & voluptatis mixtione. Tres conditiones ſummi boni.

Summum in natura bonũ & abſolutũ, eſſe menſurã vniuerſorũ, Bonorũ gradus.

SOCRATES, PROTARCHVS, PHILEBVS.

VIde , ô Protarche , quem nunc à Philebo ſermonem accepturus ſis , & contra quem noſtrum potius , ſicubi parum tibi arrideat , pugnaturus. Viſne vtranque ſententiam in ſummam redigamus? PROTARC. Volo equidem. SOCRATES.Philebus quidem inquit , animantibus omnibus bonum eſſe lætitiam,voluptatem,delectationem,cęteráque huius generis omnia. Noſtra autem aduerſus illum diſceptatio eſt,vt non iſta quidem,ſed ſapere,intelligere, meminiſſe,& quæ hiſce cognata,opinio recta,veríque rationis diſcurſus , meliora & potiora ſint , quàm voluptas omnibus quæcunque horum capacia ſunt, eorúmque adeptio maximè omnium vtilis ſit , & præſentibus, & futuris. An non hæc vtriuſque ſententia Philebe fuit? PHI.Et maximè quidem ô Socrates. SOCRATES. An ſuſcipis,ô Protarche, eam quæ tibi nunc oblata eſt diſputationem? PRO.Neceſſe eſt me illam ſuſcipere, quandoquidem Philebus pulcher ille defeſſus eſt. SOCR. Oportet equidem quid in iis verum ſit, omni ſtudio definire. PROT. Oportet ſanè. SOCRA. Age igitur, præter hæc id inſuper aſſeueremus. PROT.Quidnam.SOC. Quòd vterque noſtrûm habitum quendam & affectionem animi , quæ cunctis hominibus vitam exhibere beatam poſſit, demonſtrare conetur. Nónne? PROT. Certè. SOCR. Et vos quidem habitum affectionémque lætandi, nos autem ſapiendi. PRO. Sic eſt. SOC. Si quis verò habitus præſtantior vtroque horum videatur, idémque voluptati cognatior ſit,nónne vtrique ſuperabimur à vita quę hæc conſtanter habeat, voluptas autem ſapientiam ſuperabit? PROT.Profectò.SOC.Sin autem ſapientiæ ſit is propinquior, vincet vtique ſapientia voluptatem, voluptas contrà ſuccumbet. Num iſta conceditis aut quomodo? PROT. Mihi quidem concedenda videntur. SOCR.Philebo autem quidnam videtur? quid dicis? PHI.Mihi ſanè voluptas prę̈ſtare videtur, ſempérque videbitur. Ipſe autem videris , ô Protarche. PRO. Quum iam nobis Philebe conceſſeris diſputationis officium,haud amplius tibi aſſentiendi Socrati,vel diſſentiendi poteſtas erit. PHI. Vera dicis. Ego verò recuſo , deámque nunc teſtificor. PROT. Et nos quoque teſtes erimus,te iſta quæ dicis dixiſſe. Verùm nos deinceps, ô Socrates, vel volente Philebo , vel prout voluerit , abſoluere conemur rem. SOCR.Conemur,ab ipſa dea exordientes,quàm hîc Venerem nuncupari quidem, ſed veriſſimum ei nomen eſſe voluptatis inquit. PROT. Rectè ſanè. SOCR. Reuerentia verò mihi ſemper erga deorum numina eſt , non humana quædam, ſed maximum quemque timorem exuperans. Et nunc quidem Venerem , quemadmodum ipſi gratum eſt,eam appello:voluptatem verò rem eſſe variam ſcio. Sed ab ea, vt dixi,principium facientes, quam habeat naturam, inueſtigare debemus. Rem vnam quidem audimus : formas tamen varias admodum , & inuicem quodammodo diſſimiles habet. Vide enim , delectari dicimus intemperantem hominem.Sed & temperantia temperantem,delectari inſipientem inſipientibus opinionibus , ac vana ſpe plenum.ſed & ſapientia ſapientem.quas quidem voluptates ſi quis ſimiles inter ſe eſſe dicat,inſipiens meritò videatur. PRO.Hę quidem,ô Socrates,ex contrariis rebus proueniunt,non ſunt tamen ipſæ contrariæ.Quí enim voluptas voluptati rerum omnium maximè ſimilis non ſit , cùm ſit eadem ipſa ſibi? SO.Enimuerò,ô beate,neque color à colore,ex eo quòd color vnuſquiſque eſt,differt:at verò nigrum albo præter quàm quòd differt , etiam maximè contrarium eſſe nouimus omnes. Quinetiam figura figuræ eadem genere ipſo in vniuerſum eſt: partes autem generis eius, aut in immẽſum inter ſe differunt, aut contrariæ ſunt etiam, cæteráq; huiuſmodi

Plures modi delectandi.

modi multa reperiemus. Quam ob rem noli huic rationi,quę maximè contraria omnia vnum efficit, credere. Vereor enim, ne fortè voluptates quaſdam inter ſe contrarias reperiamus. PROT. Fortè, ſed quid hoc rationem noſtram lędet? SOC. Id certè lædet, quòd tu hæc diſſimilia cùm ſint, alio nomine vocas: ais enim ſuauia omnia bona eſſe: ſuauia verò, quin ſuauia ſint, nulla prohibet ratio. Cùm autem ex iis multa mala ſint, multa etiam, vt nos quidem dicimus bona: tu tamen omnia bona vocas, etiam diſſimilia inuicem confeſſurus, ſi quis coëgerit. Quid ergo in cunctis voluptatibus, tam malis quàm bonis, idémque quiddam communiter inuenitur, cuius gratia bonas omnes vocas? PROT. Quid ais, ô Socrates? An putas quempiam, cum poſuerit, voluptatem bonum eſſe, inde tibi conceſſurum ac toleraturum te, dicentem quaſdam bonas, quaſdam malas eſſe? SOC. Veruntamen diſſimiles eſſe multas, pleraſque etiam inter ſe contrarias confiteberis. PROT. Haud ſanè in quantum voluptates ſunt. SO. Rurſus in idem relabimur, ô Protarche, dicemúſque voluptatẽ à voluptate nihil differre, ſed omnes conſimiles eſſe: & exempla in medium paulò antè inducta nihil mouebunt, ac inſtar eorum qui inepti & rudes diſputationum ſunt, contendemus. PROT. Qui iſta dicis? SOC. Quia ſi ipſe te imitans ego, repellénſque dicere non verear, quòd diſſimilimum omnium diſſimilimo ſimilimum ſit, eadem, quæ & tu, dicere potero. Itaque rudiores, quàm par ſit, apparebimus. Et oratio nobis exciderit, peractáque iam erit. Rurſum igitur eam exordiamur: fortaſsè enim altius progreſſi in eandem ſententiam concedemus. PROT. Dic quomodo? SOCR. Pone me viciſſim interrogatum abs te. Protarche. PRO. Quídnam? SOCRA. Sapientia, ſcientia, mens, & quæcunque ego à principio rogatus quid ipſum bonum ſit, bona vocabam, nónne idem quod & ſermo tuus, patientur? PROTAR. Qua ratione? SOC. Cunctæ nanque ſcientię multæ videbuntur, earúmque nonnullæ diſſimiles inuicem, quòd ſi quæ etiam contrariæ ſint, nunquid præſenti diſputatione dignus fuero, ſi hoc ipſum veritus, nullam ſcientiam ſcientiæ diſſimilem dixerim? Sic tandem ſermo noſter tanquam fabula euaneſceret, nos autem in ruditate quadam ſeruaremur. At ſic fieri minimè decet, vno illo vt ſeruemur excepto. Mihi igitur & in tua, & in mea oratione ex æquo id placet: vt multæ videlicet voluptates ac diſſimiles ſint, multæ præterea differentéſque ſcientiæ. Differentiam itaque mei ac tui boni, ô Protarche, minimè abſcondentes, ſed in lucem potius educentes, feramus, ſi quis examinantes inquirant, voluptatémne an ſapientiam, aut tertium præter iſta quiddam bonum vocare fas ſit. Nunc enim nequaquam iſtud contendere debemus, vt quæ ipſe pono, aut quæ tu, vincant, ſed ei quod veriſſimum eſt, faueamus. PRO. Sic oportet. SOCR. Hoc item multò magis mutua confeſſione ſtabiliamus. PROT. Quidnam. SOCR. Quod omnibus hominibus moleſtum eſt, & volentibus & inuitis etiam interdum quibuſdam. PO. Dic planius. SOCRA. Sermonem qui mox incidet inquam, natura mirabilem. Multa enim vnum eſſe, & vnum multa, mirabile dictu. In quo facile eſt vtrancunque partem defendas, litem mouere. PRO. Nunquid hoc ais, cum quiſpiam me verbi cauſa, Protarchum vnum natura genitum aſſerit, eundem rurſus multos dicat? rurſus qui me & inter ſe contrarios, grauem, leuem, magnum, paruum ponant, iidem eundem vnúmque hominem ponant, & multa huius generis? SOCRAT. Tu quidem, ô Protarche, circa vnum ac multa, quæ mira videri deſierunt, inducis, & quæ, vt ita dicam, omnes conſentiunt minimè tentanda eſſe, cùm puerilia ſint quædam, & facilia cognitu, ac maximè ſermonibus obfutura, ſi quis admittat: nec mirabilia cenſenda, ſi quis membra alicuius partéſque ratione diuidens vniuerſas eas, illud vnum eſſe confeſſum, mox refellat, derideátque, quaſi monſtra fateri coactum, vnum multa ſcilicet infinitáque eſſe, multa verò vnum. PROT. Tu verò quænam alia dicis, ô Socrates, quæ nondum conceſſa circa ſermonem eundem diuulgata ſint? SOCRAT. Quando quiſpiam, ô puer, ipſum vnum nihil ex iis quæ oriuntur, & occidunt, ponit, vt paulò antè nos diximus, tunc tale vnum haudquaquam refelli debere conceſſum eſt. At quum vnum hominem affirmare conatur, bouem vnum, pulchrum vnum, vnúmque bonum, nunc ſanè in iis eiuſmodíque vnitatibus anxium ſtudium, ac etiam diuiſio ambigua fit. PROT. Quo pacto? SOCRAT. Primò quidem vtrum admittendum ſit, eiuſcemodi quaſdam vnitates verè eſſe: Deinde quomodo quamlibet earum vnam ſemper eandémque eſſe putandum, nec generationem, nec interitum ſuſcipientem, ſuáque in vnitate firmiſſimam: Poſtremò nunquid in rebus genitis, & infinitis quæque ponenda ſit, ſiue diſperſa, multáque ex vna iam facta, ſiue tota ipſa ab ſeipſa ſeorſim, quòd maximè omnium impoſſibile videatur, vnũ idémq; ſimul in vno multíſque fieri. Non illa igitur, ô Protarche, ſed iſta ſunt quæ circa vnum & mula, malè conceſſa omnis difficultatis defectúſque ſunt cauſa, bene autem examinata, facilitatis. PROT. Oportet nos, ô Socrates, hoc primùm in præſentia diſcutere. SOC. Sic ego quidem iudicarim. PROT. Hos igitur omnes cõcedere hæc tibi exiſtima. fortè verò nunc pręſtat Philebum quaſi malum (vt dicitur) quod bene iacet, rogando non mouere. SOCR. Eſto. At vnde potiſſimùm exordiemur, cùm multa & varia in his dubitationibus pugna inſit? hínc ne? PROT. Vndénam? SOC. Vnum ac multa rationibus idem facta, omnem vbique orationem & quondam & nũc peruagari, quòd vt nunquam futurum non eſt, ita nunc primùm. haud cœpit, ſed eſt, vt mihi quidem videtur, in hoc diſputationum genere, Protarche, immortalis quædam & nunquam ſeneſcens inſita nobis ratio. Eam cùm primùm adoleſcens aliquis guſtauit, ſecum ipſe congratulatur, quaſi quendam theſaurum ſapientiæ nactus, & voluptate plenus exultat, ac furit, omnémque diſputationem libenter tẽtat, tum quidem in alteram partem reflectens & in vnum commiſcens, tum verò explicás iterum, & in multa diſtribuens: vbi certè in dubitationẽ difficultatémque ſeipſum primò ac præcipuè deiicit: deinde proximũ quemque ſiue iunior, ſiue ſenior, ſiue æqualis ſit, nec patri, nec matri, nec audientium cuiquam parcẽs, fermè etiam nec aliis animantibus nedum hominibus, quandoquidem & barbarorum nemini parcat, modò interpretem alicũde náciſcatur. PR. An nõ vides, ô Socrates, qui aſtamus, omnes iuuenes nos eſſe? tum non metuis me vnà cum Philebo, ſi nos contumelia affeceris, in te impetũ faciamus? veruntamen (intelligimus enim quod dicis) ſi quis modus eſt, ſi quod machinamentum quo perturbatio hæc benignè è diſputatione reiici, ac via

Malum bene ſopitum ne moue.

quæd

quædam ad ſermonem cõmodior reperiri poſſit, & ipſe meditare, & nos pro viribus te ſectemur. Neque enim parua diſputatio præſens eſt, ô Socrates. SOC. Non certè, ô pueri. ſic enim Philebus vos appellauit. Nulla tamen eſt via pulchrior, neque eſſe poteſt, quàm illa quam ſemper ego dilexi. At illa me ſæpe fugiens, deſertum inopémq; deſtituit. PR. Quænam iſta? dic modò. SO. Quam oſtendere haud ita difficile eſt, perſequi verò difficillimum. Quæcunque enim per artem adinuenta ſunt, hac in lucem hominibus prodierunt via. Animaduerte quęſo, quam dico. PROT. Dic modò. SO. Donum profectò deorũ ad homines, vt mihi, videtur, per Prometheum quendam vna cum quodam lucidiſſimo igne deſcendit. Etenim priſci nobis præſtantiores diiſque propinquiores, hæc nobis oracula tradiderunt, quòd cùm ex vno, & multis conſtent vniuerſa quæ ſemper eſſe dicuntur, terminúmq; & infinitum innatũ habeant, oportet nos his ita ordinatis, vnam ſemper ideam in vnoquolibet generatim ponentes inquirere, & eam inſitam inuenturos eſſe: quam ſi compræhendamus, poſt vnam duas, ſi ſint, perſcrutari: ſi minus id pateat, tres, aut alium numerum quęrere, & quodlibet eorum quæ ſunt vnum, rurſus eodem pacto diuidere, quouſque ipſum principio vnum, non modò quod vnum, multáque, & infinita ſit, verùm etiam quod ſit, aliquis noſcat: infiniti autem ideam non prius ad multitudinem adhibere, quàm quis numerum omnem inter infinitum, & vnum medium cadentem percepit, tum demũ vnum quodlibet omnium abeuntium in infinitum dimittere. Dij ergo, vt diximus, ſic nobis inueſtigare, diſcere, & mutuum docere dederunt. Qui verò nunc extant ex hominibus ſapientes, vnum quidem ac multa vtcunque contingit, velocius atque tardius, quàm decet, inducunt, & poſt vnum infinita continuò, media verò illos effugiunt. Quibus diſputandi mutua inter nos ratio, tum dialectica, tum etiam litigioſa diſcreta eſt. PR. Quæ modò dixiſti, ô Socrates, partim intelligere mihi videor, partim clarius audire deſidero. SOC. Perſpicuè hoc conſtat in literis, ô Protarche, quod diximus. Itaque in his quas didiciſti, id accipe. PR. Quónam pacto? SO. Vox, inquam, ex ore nobis erumpẽs vna eſt, & infinitę rurſus voces numero, & cunctorum pariter, & cuiuſque. PRO. Quídni? SO. Neutro tamen horum docti efficimur, nec quod eius infinitũ, nec iterum, quod eius vnum cognoſcimus, ſed quia & quot, & quales ſunt, tenemus. hoc enim vnumquenque noſtrûm grammaticum reddit. PROT. Veriſſima loqueris. SOC. Idem quoque muſicum hominem facit. PRO. Qua ratione? SOCR. Vna quodammodo & in hac arte vox eſt. PRO. Quídni? SOC. Duo item ponenda ſunt, graue & acutum, & tertium tonus medius: nónne ita? PRO. Ita. SO. Veruntamen nondum doctus muſicen eris, ſi hæc ſola cognoueris, & iſta ignorans, vt ita loquar, nullius eris in muſica pretij. PROT. Nullius. SOC. Sed poſtquàm ô amice, acceperis quot interualla vocis numero ſunt circa graue atque acutum, & qualia, nécnon interuallorum termini, & quotcunque ex his compoſitiones proueniunt. Quæ maiores noſtri conſpicientes nobis eorum ſectatoribus, vt huiuſmodi quædam harmonias appellaremus, tradiderunt. In moribus præterea geſtibúſque corporis alia quædam talia ineſſe monſtrarunt, quæ numeris demenſa, rhythmos atque menſuras vocari iuſſere: cogitare præterea quòd eadem ratione de vnoquoque quod vnum, & multa eſt cõſiderare debemus. Nam quando iſtam ſic accipis, ſapiens tunc euadis. Cùm verò & aliud quicquam ita compręhendis, ſapiens rurſus circa illud efficiêris. Infinita autem ſingulorum & in ſingulis multitudo, vagum te incertúmque, & rationis ac numeri reddit expertem, vtpote in nullum cuiuſq; terminum reſpicientem. PROT. Præclarè hæc, ô Philebe, Socrates mihi dixiſſe videtur. PHIL. Mihi quoq;, ſed quid ad rem hic ſermo? quidue ſibi vult? SOC. Rectè id, ô Protarche, Philebus iſte quæſiuit. PRO. Prorſus. Reſponde igitur. SOC. Faciam quod vultis, vbi de his iiſdem pauliſper etiam diſputauero. Vt enim ſi quis vnum aliquod accipit, is vt diximus, haud mox in infiniti naturam, ſed aliquem numerum deſcendere debet: ita viciſſim, ſi quis infinitum primò ſumere cogitur, nequaquam in vnum continuò, ſed in numerum quendam qui multitudinem aliquam habeat, debet intendere, ex omnibúſque tandem in vnum deſinere. Quòd verò nunc diximus, rurſus in literis coniectari licet. PROT. Quomodo? SO. Poſtquàm infinitam vocem cogitauit, ſiue Deus aliquis, ſiue homo diuinus, qualis apud Ægyptios Theuth quidam fuiſſe fertur, qui primas in ipſa vocis infinitate vocales literas conſiderauit, quæ non vna, ſed plures ſunt, rurſúſque alias quę non vocis, ſed ſoni participes eſſent, atq; harum numerum certum ſimiliter definiuit: tertiam deinde ſpeciem literarum diſtinxit, earum quas nunc mutas vocamus, poſtremò ſoni expertes multáſque diſcreuit vſq; ſingula quædam, vocaléſq; & medias eodem modo, donec earum numero in ſingulis ſpeciebus, & in vniuerſis reperto, elementa vocauit. Cúmq; videret neminẽ noſtrûm, horum quicquam ſeorſim percepturum, niſi vniuerſa percepiſſet, hoc velut vinculum, vnum quiddam exiſtẽs, & in vnum diſperſa redigens meditatus, quam vnam in his eſſe artem grammaticen animaduertit, eo nomine appellauit. PH. Hæc planius, quàm ſuperiora videlicet ipſa inuicem comparata, ô Protarche, compræhendi. Idem tamen & nunc, & ſuperius in hac diſputatione deſidero. SO. Num ô Philebe, requiris, quid videlicet ad ſermonem noſtrum iſta conferant? PHI. Id ſcilicet quod dudum ego & vnà Protarchus requirebamus. SO. Nũquid hoc aſſecuti, requiritis tamen iampridẽ vt inquis? PHI. Quónam pacto? SO. An nõ de ſapientia & voluptate nobis ab ipſo principio diſceptatio fuit, vtrum ex iis eligendum? PROT. Imò. SOC. Etenim vnum eſſe vtrunque horum diximus. PROT. Diximus profectò. SO. Hoc ipſum prior ſermo requirit, quomodo vnum, & multa vtrunque horum ſit, quóue pacto non infinita continuò, ſed certum vtrunque horum numerum accepit prius, quàm in infinitum porrigatur. PROT. Haud ſanè in leuem nos quęſtionem, neſcio quo modo Socrates, ô Philebe, circunduxit. Quare age, conſidera vter noſtrûm ad præſentem interrogationem reſpondeat. Fortè tamen ridiculum eſt, me diſputationis totius ſucceſſorem, ex eo quòd reſpondere ad id modò nequeam, rurſus hoc ipſum tibi imperare. At ridiculum multo magis eſſet, neutrum noſtrûm id poſſe. Meditare itaque quid agamus. ſpecies enim voluptatis à nobis exigere Socrates velle videtur, ſint, nécne, quótque præterea, qualéſue ſint, & de ſapientia eadem ſimiliter percontari. SOCR. Vera loqueris ô Calliæ fili. Niſi enim id circa quodlibet vnum, ſimile, idem, & contrarium, quemadmodum

Priſci & nobis præſtantiores & diis propinquiores.

Hoc loco quis noſſe peſſet, cum ponatur ſciẽtiam eſſe virtutem, & virtutẽ in mediocritate, quod ſciẽtia ſit, etiam in quadã mediocritate, id eſt in terminum & infinitum.

Hac ratione Ariſtoteles voces in decem genera cœgit.

Circa finita, id eſt, media ſapiẽtia eſt. Circa infinita non eſt ratio.

Theuth.

oratio

oratio pręcedens oſtendit,obſeruare queamus,nullus vnquam noſtrûm vllius erit ad aliquid pretij. PROT. Sic ferme,ô Socrates, ſe res habere videtur. Ac pręclara quidem res prudenti viro omnia noſſe. Secunda verò nauigatio, proximáque videntur ab eo, ſeipſum minimè latére. quorſum autẽ iſta nunc dixerim, declarabo. Ipſe nobis, ô Socrates,diſputationis huius autor extitiſti, téque ipſum ad inueſtigandum quid ex humanis rebus optimum ſit, præbuiſti. Nam cum Philebus voluptatem , delectationem, lætitiam, & reliqua huius generis, hominibus optima eſſe aſſereret,tu illi ſtatim contradixiſti,eſſe non ea, ſed illa potius quæ ſæpenumero in memoriam nobis ſponte reducimus, rectè agentes, vt in memoriam reducta vtraque diſcutiantur. Dicis autem,vt videtur,(quod adiiciendum puto rectè)pręſtantius voluptate bonum eſſe,mentem,ſcientiam, intelligentiam , artem , & reliqua huiuſcemodi, & quòd hæc capeſcere potius quàm illa debeamus. Quæ vtraq; cum in dubium vocata ſint omnia hęc, quaſi ioco minati ſumus, non prius te domũ dimiſſuros quàm huic controuerſiæ idoneus finis imponeretur. Tu verò cõceſſiſti quidẽ,téque ipſum ad id exequendum expoſuiſti. Nos itaque dicimus quod pueri ſolẽt,quę rectè data ſunt,eripi nõ licet. Omitte igitur illum diſputandi modũ nunc quidem. SO. Quem dicis? PROT. Quo dubitationum ſcrupulos iniicis, eáque interrogas , quibus de reſpondere tibi nunc nemo noſtrum idoneè ſaltem poteſt. Neque enim bellè finita eſſe diſputatio putáda eſt,qua perplexos omnes nos reddidiſti. Atque ſi minus id nos valemus , tibi agendum eſt:pollicitus enim es. Hoc igitur tu conſulta, vtrum voluptatis & ſapiẽtiæ ſpecies diſtinguendæ , an potius dimittendæ , an alio quoquam modo queas velíſve , quæ nunc inter nos controuerſa ſunt,aperire. SO. Nihil igitur metuentuendum eſt mihi quidem amplius, poſtquàm hæc tu ita dixiſti. Nam vbi ſi velis dicitur , omnis qualibet in re formido fugatur:accedit, quod deorum aliquis memoriam nobis aliquam ſuppeditaſſe videtur. PROT. Quo pacto,& quorum memoriam? SO. Quos olim ſiue ſomnians ,ſiue vigilans ſermones audiui, nunc de voluptate & ſapientia cogito, neutram harum eſſe bonum, ſed tertium aliquid,quod aliud eſt ab vtraque , & ambabus eſt melius. ídque ſi nunc nobis liquidò pateat , voluptas à victoria procul aberit: bonum quippe idem quod illa nequaquam erit. Sicne? an aliter? PROT. Sic vtique.

Neque voluptatẽ, neque ſapientiã eſſe ſummum bonũ, ſed tertium.

SOC. Speciebus itaque voluptatis ad diuiſionem haud amplius, vt mea fert opinio, indigebimus: quod in ſequentibus clarius innoteſcet. PRO. Præclarè loqueris, perge ſic obſecro. SOCR. Paucula quædam prius aſſeueremus. PROT. Quænam? SOC. Ipſius boni conditionem videlicet, perfectum eſſe an imperfectum neceſſe ſit. PROT. Omnium,ô Socrates, perfectiſſimum. SOCRA. Quid verò , ſufficiénſne bonum ipſum eſt? PROT. Quidni? & in hoc ipſum ab omnibus quæ ſunt, differre neceſſe eſt, cunctíſque præſtare. SOCR. Hoc quoque de illo maximè, vt arbitror, neceſſarium eſt aſſerere,quòd omne cognoſcens idipſum venatur, & appetit apprehendere cupiens, atque ipſum in ſe, & alia circa ipſum poſſidere,cæterorúmque nihil curat,præterquam quæ vnà cum bonis perficiuntur.

Conditio & ſors boni triplex.

PROT. His repugnari non poteſt. SOCR. Conſideremus igitur diiudicemúſque voluptatis & ſapientiæ vitam ſeorſum inſpicientes. PROT. Quo pacto inquis? SOC. Neque in voluptatis vita ſapientia inſit, neque in ſapientiæ vita, voluptas. Oportet enim, ſiquidem his prius bonum eſt,nullius amplius indigere:ſi verò alterutrius indignum apparet, haud vlterius reuera nobis eſt bonum. PRO. Non certè. SOC. Num volumus in teipſo periculum facere? PRO. Prorſus. SO. Reſponde igitur. PROT. Dic. SOC. Optaréſne,ô Protarche, plenam ſummis voluptatibus omnem vitam agere? PROT. Quidni optem? SOC. Nunquid alio quopiam indigere te vltrà putares , quando perfecta harum poſſeſſione fruereris? PROT. Nequaquam. SOC. Aduerte itaque,num ipſa ſapientia indigeres , & intelligentia , & conuenienti ratiocinatione,& aliis quęcunque hotum cognata,ſed neque viſu? PROT. Et quid? omnia porrò haberem,ſi voluptate fruerer. SO. Et ita viuens,per omnem vitam pręcipuis voluptatibus abundares? PROT. Profectò. SO. Si mente,memoria,ſcientia,opinione vera penitus careas , primò quidem hoc ipſum , gaudeáſne,an non gaudeas,te ignorare neceſſe eſt,cum ſis omni ſapientia vacuus. PROT. Neceſſe. SOC. Et cùm memoria ſis priuatus , haud ſanè te aliquando delectatum fuiſſe recordaberis , nec vlla voluptatis repentè incidentis reſtabit memoria? & opinione vera carens,dum lætaberis,lætari te minimè opinabere. Ratione quoque captus,quòd in poſterum voluptatem aliquam adepturus ſis , ratiocinari non poteris. Duces autem non hominis vitam,ſed pleumonis cuiuſdam,id eſt,ſpongiæ marinæ,aut eorum animalium marinorum, quæ conchas habent. Sunt hæc vera? an aliter de his ſentire licet? PR. Et quo pacto aliter? SO. An vita nobis huiuſmodi expetenda? PR. Mutum me,ô Socrates,pręſens ſermo reddidit. SOCR. Ne defatigemur hîc obſecro , ſed iam alteram illam , mentis ſcilicet vitam in medium adducentes,vlterius conſideremus. PR. Qualem inquis? SOC. Vtrum aliquis noſtrum viuere ſic eligeret , vt ſapientiam,mẽtem,ſcientiam, memoriam omnem omnium poſſideret, voluptate verò nulla penitus frueretur,nec rurſus afficeretur moleſtia,ſed ſine vllo tali affectu viueret? PROT. Neutra ex iis,ô Socrates,vita,aut mihi,aut alteri, vt arbitror,eligenda videtur. SOCR. Quid autem,ô Protarche,vita ex ambobus in vnum congredientibus mixta,& communis effecta? PRO. Ex voluptate ais , ſapientiáque,& mente? SOCR. Hanc ipſam dico. PROT. Vnuſquiſque ſanè hanc ipſam potius , quàm ex ſuperioribus alterutram eliget:neque vnus optabit quidem,alius minimè,ſed idem omnes pariter expetent.

Trium vitarum quæ optima.

SO. Videmúſue igitur quid ex præſenti diſputatione ſequatur? PRO. Prorſus quidem,quòd tres vitæ propoſitę ſunt:ex duabus neutra ſufficiens,aut optanda vel hominibus , vel cæteris animantibus. SOC. An non circa hæc iam id conſtat , quòd neutra ipſum bonum poſſidet? etenim perfecta & ſufficiens eſſet, & vniuerſis plantis,& animantibus exoptanda,quęcunq; ſic ſemper viuere poſſent. Si quis verò ex nobis alia eligat , præter naturam eius quod reuera affectandum eſt, eliget,neque id ſponte, ſed ex ignorantia, vel infelici quadam neceſſitate. PR. Hæc ita ſe habere vidétur. SO. Quòd ergo Philebi deã haud idem quod ipſum bonum exiſtimare oporteat,ſatis iam dictũ eſſe videtur. PHI. Sed neq; etiam tua mẽs ipſum bonũ eſt,ô Socrates. iiſdẽ enim reprehenſionibus eſt obnoxia. SO. Forſitã ô Philebe,mea. nõ tamen veram diuinámq; mentem ſic arbitror,ſed aliter ſeſe habere. Equidẽ quòd primas in iſta cõmuni

vita

vita mens obtineat , non cõtendo ego quidem. De ſecundis verò videndum eſt , quid faciemus. fortè enim cõmunis vitæ cauſam alter noſtrûm mẽtem, alter voluptatem afferat, atq; ita bonũ ipſum neutrum erit iſtorum:fortè verò alterutrũ horum cauſam eſſe quiſpiam cenſebit. Quo magis ergo cõtra Philebum decertarim,quòd hac in promiſcua vita quicquid illud deniq; ſit quod à vita ſuſceptũ expetendam ipſam bonámq; reddit,ei mens ipſa,quàm voluptas cognatior eſt, & ſimilior. Atq; ex hac ratione voluptas nec primas,nec ſecũdas etiã partes reuera tenebit:longius autem aberit à tertia ſorte, ſiqua meæ menti fides nunc eſt à nobis adhibenda. PRO. Atqui,ô Socrates,voluptas iam proſtrata videtur quaſi rationibus tuis perculſa:nã & de victoria decertãs,iacet. De mẽte verò vt videtur dicendum,quòd nõ ſapienter ſibi victoriam vendicaret. Eadẽ quippe pateretur. voluptas autẽ ſecunda ſorte priuata,omnino iam ab eis amatoribus contẽnetur:neq; enim ęquè pulchra vlterius apparebit. SO. Quid igitur? nónne dimittere illã præſtat, nec exquiſita examinatione , redargutionéq; dolore afficere? PRO. Nihil ais ô Socrates. SOC. An quia impoſſibile quiddã protuli,dolore affici voluptatẽ? PRO. Nõ ob hoc tãtùm, verùm etiã quòd ignoras noſtrũ nullum prius abire te dimiſſurum,quàm ad horum finem ratione deueneris. SOC. O longam Protarche orationẽ futurã , imò verò neq; facilem propemodum nũc. Videtur enim aliis quibuſdã inſtrumẽtis, quaſi talis præter rationes ſuperiores opus eſſe , ſi quis palmam menti ſecundam cõparatus accedat. fortaſſe verò & hęc habemus. Igitur oportet? PRO. Quidni? SOC. Principiũ itaq; huius ponentes cautè & diſtinctè occupemus. PRO. Quale principiũ dicis? SOC. Omnia quę nunc in vniuerſo ſunt,bifariam diſtinguamus. Imò ſi vis trifariã. PRO. Quónam pacto? SOC. Accipiamus nonnulla ex iis quæ nunc à nobis ſunt dicta. PRO. Quænã? SOC. Deum dicebamus ex iis quæ ſunt, alterum quidẽ infinitũ, alterum verò terminũ oſtẽdiſſe. PRO. Omnino quidem. SOC. Has itaq; ſpecies duo illa ponamus:tertium verò , vnum ex vtriſq; cõmixtum. Ridiculus tamen videor admodum , dum per ſpecies diuidere,atq; dinumerare iſta contendo. PROT. Quid ais ô bone vir? SOC. Quarto adhuc genere opus eſſe conſtat. PRO. Quónam? SOCR. Cauſam mutuæ cõmixtionis iſtorum conſidera, eámq; præter tria illa quartũ ponito. PRO. Nunquid & quinto inſuper indigebis aliquo diſcernente? SOC. Fortè:non tamẽ in præſentia, vt arbitror. Sin autem opus fuerit,ignoſces mihi quintã viam ſectanti. PRO. Quid obſtat? SOC. Principiò igitur,quatuor horum tria illa diuidẽtes, atq; vtrunq; duorum in multa diffiſſum diuulſúmque videntes , mox in vnum rurſus vtrunq; cõiungentes, perſpicere conemur, quatenus vtrunq; horum, vel vnum, vel multa ſit. PRO. Hæc mihi ſi planius dixeris , aſſequar fortè. SOC. Duo profectò quæ propoſita ſunt dico, finitum dico,& infinitum. quòd autem infinitum multa quodammodo ſit, conabor oſtendere : finitum verò in poſterum differatur.

Quòd infinitũ ſit multa.

PRO. Differatur. SOC. Attende igitur : arduum nanq; atq; maximè controuerſum eſt , quod conſiderare te iubeo. Attamen animaduerte. Primum autẽ circa calidius frigidiúſq; conſidera , vtrùm terminum aliquem in eis inuenias : an potius magis ac minus dum iis generibus inſunt, finem reiiciant : ſine nanque adhibito, ipſa

Magis ac minus finem reiiciunt, & quãtum.

etiam finirentur. PRO. Veriſſima loqueris. SOC. At verò ſemper in ſeipſo calidiori & frigidiori magis ac minus eſſe fatemur. PRO. Maximè. SOC. Semper ergo nobis hæc ratio monſtrat ab iis finem abeſſe: cúmque ſine fine ſint,omnino infinita ſunto. PRO. Prorſus ô Socrates. SOC. Euge amice Protarche, intellexiſti,atq; aduertiſti nũc quod hoc ipſum vehemẽter abs te modò pronuntiatũ,& ipſum quoq; quod remiſſè dicitur,eandẽ vim habent quã ipſum magis ipſúmue minus. Vbicunq; enim adſunt,non ſinunt eſſe quantum vnumquodq; , ſed ſemper vehemẽtius remiſſiore , & viciſſim vehementiore remiſſius omnibus actionibus inferentia, plus ac minus efficiunt:quantum verò ſemper delent. Quod enim nũc dictum eſt, non delens quantum , ſed relinquens ipſum & menſura in ſede ipſius magis, & minus , & vehementer , & remiſsè innaſci : parent hæc ex ſua regione,in qua inerant. Neq; enim calidius & frigidius iam amplius ſit,ſi recipit quãtum. Diffugiet enim,nec vltrà cõſiſtet calidius ipſum,& frigidius:quantũ verò,ſtat,progrediq; ceſſat. Quãobrẽ hac ratione calidius , & frigidius infinita iam eſſe conſtat. PRO. Sic apparet ô Socrates:veruntamen vt ipſe dixiſti,haud facilè iſta percipi poſſunt. Fortè verò deinceps iterum repetita,interrogantẽ pariter & reſpõdentẽ conſentire inuicem declarabunt. SOC. Bene dicis,atq; ita pro viribus agẽdum eſt.ſed intuere primũ, num id ſignum ponamus infinitæ naturæ, ne ſingula tranſcurrẽtes orationem in longum nimium protrahamus.

Signum infinitæ naturæ.

PRO. Quódnam dicis? SOC. Quæcunq; magis ac minus,vehementer atque remiſsè,nimiſque & huiuſmodi quædam admittunt,cuncta in vnum infiniti genus reducenda ſunt,quemadmodum ſuprà diximus,aſſerentes omnia quæ diuidua diſperſáq; ſunt,in vnum oportere colligi,ſecũdúmq; vim vnam,velut vnã quandam naturam ſignari. Meminiſtine? PRO. Memini.

Quæ in genere infiniti.

SOC. Quæ verò talia quædam minimè,ſed horum contraria accipiunt omnia, primò quidem æqualę ipſum atq; æqualitatem, pòſt æquale & duplum,& ſingulas inde proportiones quaſcũq; ad numerum numerus, & ad menſuram menſura habet,hæc inquam omnia in genus finiti referẽtes,recténe faceremus? Quid ais ad hæc? PRO. Præclarè ô Socrates.

Quæ in genere finiti.

SOC. Age. Tertium autem ex vtriſque cõmixtum, quam ideam habere dicemus? PRO. Id mihi tu dices,vt arbitror. SOC. Imò Deus,ſi modò quis Deus meas preces propitius exaudiat. PRO. Precare igitur , & contemplare. SOC. Contemplor ſanè. Ac mihi videtur deorũ aliquis nobis amicè nunc aſpiraſſe. PRO. Quo pactò id ais? & qua coniectura vteris? SOCR. Dicam planè, tu verò attentis auribus adſta. PROT. Dic modò. SOC. Calidiúſne aliquid nunc,& frigidius dicebamus? PRO. Certè. SOC. Adde præterea ſiccius & humidius, plus ac minus, velocius atq; tardius,maius & minus:ac deniq; quotcunq; in ſuperioribus ad naturam vnam magis minúſue ſuſcipientẽ redegimus. PRO. An infiniti naturam inquis? SOC. Etiam. in eam autem cõmiſce poſthac progeniẽ illam termini. PRO. Quam? SOC. Eam quam cum deceret in vnum colligere,quemadmodum illam infiniti collegeramus, nondũ collegimus:at fortè nunc idem ages:his quippe vtriſq; coactis , illa tertia continuò patefiet. PRO. Quam dicis,& quomodo? SOC. Aequalis, & dupli progeniem, & quæcunq; diuerſa quæ ſunt, contraria infeſtáq; eſſe non finit, ſed commenſurata,& cõſona

reddens, numerum efficit. PROT. Intelligo. dicere nanque mihi videris, ſi iſta miſcentur, generationes quaſdam ex eorum ſingulis euenturas. SOC. Et rectè videor. PRO. Dic igitur. SOC. Nónne in morbis recta horum communio ſanitatis naturam genuit? PRO. Omnino. SOC. In acuto autẽ etiam & graui, veloci & tardo, cùm infinita ſint, hæc & terminum peperit, & perfectionem totius muſicæ præſtitit. PRO. Præclarè. SOC. Quinetiam rigori & æſtui tradita, id quod multum, & infinitum dicitur, abſtulit, menſuratum autem & commenſuratum effecit. PRO. Quídni? SOC. Ex iis temperies anni, & quæcunq; pulchra ſunt, cuncta manarunt, infinitis inuicem finitiſq; coëuntibus. PRO. Certè. SOC. Atq; alia inſuper innumerabilia prætermitto, veluti cum ſanitate pulchritudinem atq; robur. In animis quoq; alia permulta atq; præclara: petulantiam quippe, & vniuerſam improbitatem dea hæc animaduertẽs ô bone Philebe, omni termino voluptatum expletioniſq; carere, legem & ordinẽ quibus terminus ineſt, iis appoſuit, eámq; tu ſic infici ac perdi, ego contrà ſeruari dico; tibi verò Protarche, quidnam videtur? PRO. Hæc prorſus ſecundum meam ſententiam ſunt aſſerta. SOC. Nónne tria hæc iam protuli, modò intelligas? PRO. At intelligere arbitror. Vnum quidem infinitum aſſerere mihi videris. Secundum verò eorum quæ ſunt terminum. At tertium illud quid dicere velis, haud ſatis teneo. SOC. Multitudo, ô mirifice vir, generationis eius tertiũ quod eſt, te ſtupefecit: quãquam & infinitum multa genera continebat, quæ tamen genera ipſius magis minúſue ſignata, vnũ apparuerunt. PRO. Vera narras. SO. Veruntamen neq; terminus multa continebat, nec indignabamur, quaſi non eſſet vnum natura. PRO. Quo enim modo? SO. Nullo modo. Sed tertiũ ſcito me dicere vnum hoc quodcunque ex iis naſcitur, generationem videlicet in eſſentiã, ex menſuris vnà cum termino conſtitutis. PRO. Intellexi. SOC. Cæterùm quid præter hæc tria, quartũ genus ſit, diſcutiendum reſtat. Cõmunis autem iſta diſceptatio eſt. Vide enim an non neceſſarium tibi videtur, quodcunque gignitur, per aliquam cauſam gigni? PROT. Mihi planè. Quomodo enim abſq; ea fieret? SOC. Et efficientis natura nomine duntaxat à cauſa differt, efficiénſq; & cauſa vnum rectè vocabuntur. PRO. Rectè. SOC. Quinetiam ac genitum ſolo nomine diſcrepabũt. PRO. Certè. SOC. Præcedit quidem atq; ducit natura ſemper quod efficiens eſt? quod verò factũ eſt ab eo genitúmque, ipſum ſequitur. PROT. Prorſus. SOC. Non ergo idem, ſed aliud eſt cauſa, & quod ad generationem cauſæ ſeruit. PRO. Quid prohibet? SOC. An non genita ipſa, & ex quibus gignuntur omnia, tria nobis genera præbuerunt? PRO. Maximè. SOC. Omnium autem iſtorum opificem quartum ponimus, cauſámque vocamus, vtpote aliud quiddam quàm illa ad ſufficientiã demonſtratum. PRO. Ponimus abſque dubio. SOC. Verùm iam decet, cùm quatuor diſcreta ſint, quo melius ſingulorũ meminerimus, ſingulatim illa dinumerare. PR. Vtique. SOC. Primum igitur, infinitum dico: ſecundum, terminum: tertium, mixtam ex iis genitámque eſſentiam: poſtremum mixtionis generationiſque cauſam, ſi quartum vocem, nunquid errarem? PROT. Nullo pacto. SOCR. Agedum verò, quę nobis deinde oratio eſt? & quid potiſſimùm inquirentes, huc digreſſi ſumus? nónne id erat? Quærebamus nempe vtri ſecundæ tribuerentur, voluptatine, an ſapientiæ potius. An non ita? PRO. Ita certè. SOC. Poſtquam iſta in hunc modum diſtinxim⁹, nónne melius iudicabimus cui prima, cuiue ſecunda victoriæ palma danda ſit, ex iis quæ ſuprà in certamen venerunt? PROT. Fortè. SOC. Victricem ſanè poſuimus, vitam ex voluptate & ſapiẽtia mixtam. PRO. Imò. SOC. Qualis ſit, & cuius generis hæc vita, quodammodo cernimus. PRO. Cernimus. SOC. Pars nempe tertij generis. Neque enim ex duobus quibuſdam mixtum illud eſt, ſed ex infinitis omnibus termino deuinctis. Quapropter meritò victrix hæc vita illius pars erit. PRO. Et rectè admodum. SOC. Eia Philebe, dulcis illa tua ac ſimplex vita, ad quod prædictorũ genus pertinere iure putabitur? Sic autem mihi prius quàm ea de re ſtatuas, reſponde. PHIL. Dic modò. SOC. Voluptas ac dolor terminum habent, an potius ex eorum genere ſunt, quæ magis minúſue ſuſcipiunt? PHIL. Ita ex iis quæ magis ô Socrates: neque enim voluptas omne bonum eſſet, niſi ſuapte natura, & ſecundum multitudinem, & ſecundum id quod magis infinita exiſteret. SOC. At neque etiam dolor ô Philebe, omne malum: quamobrẽ aliud quiddam nunc conſiderare debemus, quàm infiniti naturam, quod voluptatibus partem boni aliquam præbeat. Enimuerò ex iis indeterminatis vita illa tua ſit. Sapientiam autem, ſcientiámq; & mẽtem, ad verum eorum quæ diximus potius, ô Protarche atq; Philebe, referemus, ne in pietatẽ à nobis peccetur? haud enim mediocre periculum eſt rectè ſecúſue quod modò quæſitum eſt, explicuiſſe. PHIL. Deum, ô Socrates, tuũ extollis. SOC. Et tu ô amice, deam tuã. Verùm ad id quod quæſitũ eſt, redeundum. PRO. Probè loquitur Socrates, ô Philebe. Eiq; eſt parendum. PHIL. An non ô Protarche, pro me dicturũ te promiſiſti? PRO. Maximè. Nunc autem propemodum hæſito, téq; vt eſſe nobis ô Socrates, propheta velis obſecro, nequid nos tibi circa certatorẽ aberrantes, præter melodiã canamus. PHI. Parendũ Protarche, nihil enim difficile iubes. SOC. Equidẽ Deum reuera, vt Philebus inquit, extollẽs iocando te turbaui. interrogans cuiúſnam generis mens & ſcientia eſſent. PRO. Maximè quidem ô Socrates. SOC. Facile tamen: omnes ſiquidẽ ſapientes ita extollentes ſeſe conſentiunt, intellectum eſſe cœli terræq; nobis regẽ, ac fortè rectè loquuntur. quod ſi vis, hoc genus diffuſius examinemus. PRO. Dic arbitratu tuo, ô Socrates, nihil prolixitatẽ veritus. neq; enim moleſtus eris. SOC. Prçclarè loqueris: hinc igitur interrogantes, exordiamur. PROT. Vnde? SOCR. Vtrùm ô Protarche, dicendum eſt vniuerſum hoc agi ab irrationali quadam temerariáq;, & fortuita poteſtate? An contrà, quemadmodum maiores noſtri ſenſerunt, ordine quodam mentis, & ſapientiæ mirabilis gubernari? PROT. Nihil iſtorum, ô admirande Socrates. Nam quod modò dicebas, prophanum mihi videtur: fateri autem mente omnia hæc exornari, ſententia quædam ſpecie mundi ſoliſque, & lunę cæterorúmque ſiderum, & omnis denique cœleſtis circuitus digna eſt, nec ego vnquam de iis aliter loqui, aut ſentire auſim. SOCRAT. Víſne igitur quod à priſcis aſſertum eſt, nos item confiteamur? hæc videlicet ita ſeſe habere, nec modò putemus alia ſine periculo proferri non poſſe, verumetiam vnà cum illis vituperationis periculum ſubeamus, ſiquando vir

aliq

Recta horum communio, id eſt, æqualis, vel dupli, vel cæterorum.

Morbus eſt in excedente, vel ceſſante calido, frigido, humido & ſicco.

Genitum nõ eſt mixtum ex duobus quibuſuis, ſed ex infinito & termino duobus conſtat.

Quòd voluptas & dolor ſit in genere infinitorum.

Neque voluptas omne bonũ, neq; dolor omne malum.

Intellectum eſſe cœli ac terræ regem.

aliquis durus ac vehemens, iſta non ſic, ſed ſine ordine ferri contenderit? PRO. Qidni velim? SOC. Age igitur, eam quæ nobis nunc ac de re ſequitur, diſputationem comtemplare. PRO. Dic modò. SOC. Quæ circa corpora viuentium ſunt, ignem, aquam, ſpiritum, atque terram in compoſitione ineſſe conſpicimus, ſed fluctuantium, vt aiunt, inſtar. PRO. Et maximè quidẽ: in iis enim ſermonibus reuera propter ambiguitatem fluctuamus. SOCR. Ergo de vno quoque eorum quæ circa nos ſunt, id accipe. PROT. Quidnam. SOC. Quod vnumquodque horum apud nos exiguum ac vile, nec vllo modo ſyncerum, & integrum, nec vim natura ſua dignam ferens: quod quidem in vno animaduertens, de reliquis omnibus idem exiſtimato. Velut ignis, eſt quidem apud nos, eſt etiam in vniuerſo. PRO. Eſt. SOC. Nónne ignis, hic noſter exiguus, imbecillus, & vilis, ſed qui in vniuerſo ineſt, quantitate mirandus & pulchritudine, & omni quę ad ignem pertinet, poteſtate? PRO. Vera nimirum loqueris. SOC. An verò fit, alitur, ducitur ab igni noſtro mundi totius ignis, vel contrà, & meus & tuus, & animantium reliquorum omnis ab illo? PRO. Hæc reſponſione digna non ſunt. SOC. Rectè. Eadem quoque de animalium ac mũdi terra opinor, diceres, & de aliis omnibus quæ paulò ſuprà quæſiuimus, ſimiliter reſpondes? PROT. Quiſnam reſpondens aliter, ſanæ mentis æſtimetur? SO. Nemo forſitan, ſed iam ad reliqua. Omnia quippe nunc dicta in vnum compoſita contuentes, corpus appellamus. PRO. Quidni? SOCR. Idem quoque de hoc, quem mundum dicimus, accipe. Eadem ſiquidem ratione corpus eſt, ex eiſdem compoſitum. PRO. Rectiſſimè loqueris. SOC. Vtrùm ex hoc corpore noſtrum corpus omnino, vel contrà ex noſtro ipſum nutritur, & quæcunque paulò antè memorauimus, ſuſcepit & habet? PROT. Neque hoc etiam alterum, ô Socrates, reſponſione dignum eſt. SOCR. Sed alterum: éſtne dignum, an non? PRO. Dic quod? SOCRA. Noſtrum corpus animam habere fatebimur? PROT. Conſtat. SOC. Vedénam, ô amice Protarche, ſuſcepit, niſi vniuerſi corpus, quod eadem quæ & noſtrum ac etiam præſtantiora continet, animam habeat? PR. Conſtat. Aliunde nequaquam. SOCRA. Neque enim exiſtimandum, ô Protarche, quatuor illa, terminum, infinitum, mixtum, & cauſæ genus in iis quartum cunctis exiſtens, quod iis quidem quæ apud nos ſunt, animam corpúſque præbet, dum imprimit vmbram, labefactóque corpore, remedia parat, & in aliis alia conſtituit atque reſtituit, atque omnem omnis generis ſapientiam vocitari, cúmque eadem hæc vniuerſo cœlo eiúſque partibus amplioribus inſint, quæ puriores præſtantioréſque exiſtunt, in eis tamen præclariſſimorum pretioſiſſimorúmque naturam minimè reperiri? PRO. Nullam profectò rationem id haberet. SOC. Quamobrem rationem illam vlterius proſequentes melius diceremus, vt ſæpenumero diximus, infinitum prorſus in hoc vniuerſo cõſiſtere, ſufficientémque terminum cauſámque illis haud ignobilem ſemper adeſſe ornantem, diſponentémque horas & menſes & annos, mentem & ſapientiam meritò nuncupatam. PROT. Meritò. SOCR. Sapientia verò atque mens, abſque anima nunquam ſunt. PR. Nunquam certè. SOC. Ergo in Iouis ipſius natura regiam animam, regiámque mentẽ ineſſe propter vim cauſæ confiteberis, & in aliis item alia pulchra, vt illorum cuique dici placet. PRO. Maximè. SOC. Præcedentem, ô Protarche, ſermonem nequaquam temerè inductum putes: eorum enim qui olim mentem omni modo præſidere oſtenderunt, ſententiam adiuuat. PRO. Sanè. SOC. Meæ verò petitioni reſponſum porrigit, quòd mens eſt progenies quædam eius cauſæ, quæ cauſa dicitur omnium, quæque eſt ex quatuor his quæ ſunt relata, vnum quiddam: habes iam igitur noſtram expoſitionem. PRO. Habeo, & ſufficienter quidem. quanquam cùm antea idem reſponderis, non intellexi. SO. Remiſſio quædam ſtudij, ô Protarche, ſæpenumero iocus eſt. PRO. Præclarè loqueris. SOC. Nunc igitur, ô amice, in quo genere ſit, quámue habeat vim, ſatis propemodum monſtratum eſt. PRO. Omnino. SO. Quinetiam ſimiliter voluptatis genus iampridem patuit. PROT. Nimirum. SO. Reminiſcamur iam & horum circa vtraque, quòd mens quidẽ cauſę cognata, eiuſdémque cum illa generis fermè erat: voluptas aũt infinita, eiúſque generis quod nec principiũ, nec mediũ, neque finem in ſeipſo ſuapte natura cõtinet, aut aliquãdo continebit. PR. Quidni reminiſcamur? SO. Oportet itaque poſthac in quo horũ vtrunque conſiſtit, & propter quam paſſionem fit quoties fit, aduertere. Vtque voluptatis primò genus ipſum inueſtigauimus, ſic & iſta circa illam primò nunc inquiremus. Seorſum tamẽ à dolore voluptatem ſufficienter examinare non poſſumus. PRO. Si hàc gradiendum eſt, hac vtique gradiamur. SO. Num igitur idẽ tibi quod mihi de horum generatione videtur? PR. Quid iſtud? SO. Cõmuni eodémque in genere ſecũdum naturam dolor & voluptas eſſe videntur. PR. Hoc commune genus, amice Socrates, reducit nobis in memoriam, quidnam ex iis quæ ſuprà diſtincta ſunt, intelligi velis. SOCR. Pro viribus, ô mirifice vir, id agam. PRO. Bene inquis. SOC. Commune igitur intelligamus, quod ex quatuor tertium numerauimus. PRO. An quod poſt infinitum finitúmque locaſti, in quo ſanitatem & harmoniam, vt arbitror, collocaſti? SO. Rectè dicis, ſed nunc maximè mentẽ adhibe. PRO. Dic igitur. SO. Harmonia ſoluta in animãtibus, vnà naturæ ſolutionem generationémque dolorum eo in tempore fieri dico. PRO. Cõſentaneum. SO. Rurſus harmonia contemperata, & in ſui naturam protinus reſtituta voluptatem fieri dicendum eſt, ſi modò res maximæ verbis paucis cõcludendæ ſunt. PRO. Reor equidẽ te rectè, ô Socrates, dicere: clariùs tamen exprimere eadem adnitendum. SO. An non vulgaria, & notiſſima cognitu facilia ſunt? PRO. Quænam iſta? SO. Fames quidem ſolutio eſt, atque moleſtia. PRO. Eſt. SO. Comeſtio verò repletio atque voluptas. PRO. Ita. SO. Sitis iterum corruptio ſolutióq; & dolor. Vis autẽ humore quod arefactum eſt reficiens voluptas eſt. Diſcretio inſuper, & diſſolutio præter naturam æſtu quodã effecta moleſtia. At ſecundum naturã reſtitutio refrigeratióq; voluptas. PR. Prorſus. SO. Cõcretio quoque humoris præter animalis naturam frigore facta, dolor. Cõtrà humido liqueſcente, & in ſuam redeunte naturã, reditus iſte voluptas. Ac ſummatim conſidera, nunc tolerãda tibi hæc oratio videatur. Quoties corrumpitur animata ſpecies ex infinito & termino ſecundum naturã, vt in ſuperioribus diximus, genita, eiuſmodi corruptio dolor eſt. Cùm verò hęc in eſſentiam ſuam refluunt, regreſſum hunc dicimus voluptatem. PRO. Eſto. Videtur enim hoc mihi admodum veriſimile. SOCR. Hanc vnam itaque voluptatis, & doloris ſpeciẽ in iis paſſionib. vtriſque

Elementorũ apud nos vilitas.

Iocus ſæpenumero remiſſio ſtudij eſt.

ponamus. PROT. Ponatur. SOC. Pone deinceps expectationem harum in anima paſſionum. Expectationem inquam quæ voluptaria antecedit, ſperantem, gaudentem, atque ſecuram: quæ vero moleſta, formidoloſam ac mœſtam. PRO. Eſt igitur hæc voluptatis & doloris ſpecies alia, ſeorſum a corpore ex ſolius animæ expectatione profecta. SOC. Rectè accepiſti. In iis vtique, vt mea fert opinio, vtriſque ſynceris exiſtentibus, nec mixtis, voluptate videlicet atque dolore, liquidò diſcernemus num voluptatis vniuerſum genus amandum ſit, an hoc potius alteri cuiquam ex antè dictis attribuendum: voluptati vero atque dolori, ceu calido, & frigido, cæteriſque talibus, competat vt interdum amanda ſint, aliàs non amanda: vtpote quæ bona minimè ſint, ſed quandoque certum aliquid ſuſcipientia, naturam boni ſequantur. PROT. Rectè ais, oportere ſic incedere qui talia perſcrutatur. SOC. Primùm igitur id inſpiciamus: ſi verum eſt quod dicebatur, peremptis illis dolorem, ſaluis voluptatem ſequi: cùm neque intereunt, neque etiam conſeruantur, quam potiſſimum habitudinem tunc ſingulis animalibus tribuere debeamus. Intentus itaque animo mihi reſponde, num tibi neceſſarium videatur quodlibet animal eo ipſo in tempore nullo modo vel lætari vel angi. PROT. Neceſſarium certè. SOC. Eſt ergo ſtatus hic tertius præter mœrentis & gaudentis affectum. PROT. Eſt profectò. SOC. Agedum huius meminiſſe conare: ad iudicandum ſiquidem voluptatem, reminiſci vel non, permultum refert, breuibus tamen aliquid de ipſa ſi vis perſtringamus. PROT. Dicas ergo, quid iſtud? SOC. Eum qui contemplationis vitam eligit, nihil ita viuere prohibet. PROT. Seorſum a lætitia, & moleſtia dicis? SOC. Dictum enim in cuiuſque vitæ comparatione virum contemplationi deditum nihil ylla ex parte vel gaudere vel angi. PROT. Omnino ſic dictum. SO. Nónne ſic illi conuenit? Ac fortè nil mirum eſſet, ſi vita hæc cæterarum omnium diuiniſſima ſit. PROT. An abſurdum eſt Deos gaudere vel contra triſtari? SOC. Abſurdum omnino. Indecens enim vtrunque eſt. At hoc deinceps inueſtigemus, ſiquid ad hanc diſputationem conferat: ac menti ad ſecundas victoriæ partes, ſi minus ad primas licet, accommodemus. PROT. Rectè loqueris. SOC. Atqui alia ſpecies voluptatum, quam animæ propriam aſſignauimus, omnis memoria conſtat. PROT. Quo pacto? SOC. Primùm quid memoria ſit accipiendum videtur, quinetiam fortaſſe quid memoriæ ſenſus, ſi planius hæc elucidari velimus. PROT. Quo pacto inquis? SOC. Pone ex omnibus corporis paſſionibus quaſdam in corpore prius extinctas, quàm in animam transfluant, paſſione vacuam dimittentes: alias per vtrunque diffuſas & quandam quaſi concuſſionem, tam propriam, quam communem vtrique pariter inferentes. PROT. Ponantur. SOC. Et paſſiones per vtrunque minimè propagatas ſi latere dixerimus animam, & per vtrunque manantes innoteſcere animæ, an rectè dicemus? PRO. Certè. SOC. Ipſam ergo latere nullo modo, vt dico, obliuionis generationem eſſe exiſtimes. Eſt enim obliuio memoriæ exitus. Ea vero in iis quæ modò dicebantur, nondum erat. Eius autem quod nec eſt, nec fuit, iacturam fieri aliquam abſurdum. PRO. Abſurdum. SOC. Nomina ergo duntaxat permuta. PRO. Quomodo? SOC. Pro eo quòd latere animam diximus, quando abſque paſſione corporei tumultus exiſtit,

Vita cõtemplatiua diuiniſſima.

Deos nec lætari, nec triſtari.

quam nunc obliuionem vocare videris, inſenſibilitatem, vel vacuitatem ſenſus, potius nominato. PROT. Teneo. SOC. Motum autem in communi corporis & animę paſſione factum ſi ſenſum vocaueris, haud ab re nominabis. PROT. Vera loqueris. SOC. An non percipimus iam quid ſenſum vocari velimus? PRO. Percipimus. SOC. Senſus præterea conſeruationem rectè quis memoriam mea ſententia nuncupabit. PROT. Rectè nimirum. SOC. Et à memoria reminiſcentiam diſcrepare fatemur, necne? PROT. Fortè. SOC. An non in hoc præcipuè? PRO. Quónam? SOC. Quoties quæ cum corpore paſſa eſt aliquando anima, eadem ſine corpore in ſeipſa reſumens animaduertit, tunc meminiſſe eam aſſerimus, an non? PRO. Valde quidem. SOC. Quinetiam quando memoriæ paſſa iacturam, deinde vel ſenſu, vel diſciplina monente eam iterum reuocat in ſeipſa, reminiſci putatur. Atque hæc omnia memorias reminiſcentiáſque vocamus. PRO. Probè loqueris. SOC. Cuius autem gratia hæc dicta ſunt omnia, hoc eſt. PROT. Quid iam? SOC. Ne animæ voluptatem abſque corpore quam maximè atque perſpicuè capiamus, atque vnà concupiſcentiam. per hæc enim vtraque iſta declarata videntur. PR. Pergamur iam ad reliqua, Socrates. SOC. Multa vt videtur, conſiderare decet, voluptatis originem omnémque formam eius inueſtigantes. Et nunc quidem primò videndum quid eſt, & vbi naſcitur concupiſcentia. PRO. Videamus iam obſecro. Nihil enim amittemus. SOC. Imò, ô Protarche, cùm quod modò quærebamus, inuenerimus, amittemus aliquid circa iſta, videlicet de hiſce rebus dubitationem. PROT. Quàm bellè retorſiſti. at iam quæ ſequuntur expediamus. SOC. Nónne famem atque ſitim, & huiuſmodi multa, concupiſcentias quaſdam eſſe diximus? PRO. Maximè. SOC. Ad quidnam idem reſpicientes res adeò diuerſas vno nomine nuncupamus? PRO. Per Iouem haud facilè dictu, ô Socrates. dicendum tamen. SOC. Ab eiſdem rurſus exordiamur. PRO. Quibus? SOC. Dicimúſne ſitire aliquem? PRO. Dicimus. SOC. Hoc autem eſt vacuum eſſe? PROT. Quidni? SOC. Et ſitis concupiſcentia eſt? PROT. Eſt. SOC. Potioniſne? PROT. Potionis. SOC. An non repletionis potus? PROT. Huius certè. SOC. Vacuus igitur, & exhauſtus contraria eorum quæ patitur, appetit. Nam cùm vacuus ſit, impleri cupit. PRO. Manifeſtum eſt. SOC. Quid ergo? qui primò vacuus eſt, num poteſt vel ſenſu vel memoria quadam eius repletionem attingere, quod nec præſenti nec vnquam præterito in tempore, paſſus eſt? PROT. Nullo modo. SOC. Sed eum qui cupit, aliquid cupere confitemur. PROT. Quidni? SOC. Haud ergo quod patitur appetit. Sitit enim. ſitis autem vacuitas eſt, is autem repletionem affectat. PROT. Ita. SOC. Aliquid igitur eius quod appetit, expletionem attinget. PROT. Neceſſe. SOC. Corpus quidem nequit: nam exhauſtum eſt. PROT. Certè. SOC. Reſtat vt anima expletionem per memoriam conſequatur. PROT. Patet. SOC. Nam quo alio conſequeretur? PROT. Nullo fermè. SOCR. An aduertimus quid nobis ex his rationibus efficiatur? PROT. Quid iſtud? SOC. Corporis cupiditatem eſſe ratio hæc non dictat. PROT. Quo pacto? SOC. Quoniam in omni animali, conatum animantis paſſionibus contrarium cupiditas oſtendit. PROT. Penitus. SOC. Impetus autem in contraria quam paſſiones trhens

memor

Memoria.

Paſſio eſt corporis, nõ autem cupiditas.

Sitire non corporis, ſed ſiccatum eſſe.

memoriam contrariam paſſionibus innuit. PROT. Omnino. SOC. Ratio itaque oſtendens memoriam ad concupita rapientem animæ omnem impetum, & cupidinem, principatúmque omnis viuentis tribuit. PROT. Rectè nimirum. SOC. Sitire igitur vel eſurire corpus noſtrum, aut aliquid eiuſmodi pati neqnaquam ratio hæc admittit. PRO. Vera loqueris. SOC. Hoc præterea circa iſta conſiderabimus, quòd hæc ratio quandam vitæ ſpeciem in iis demonſtrare velle videtur. PRO. In quibus? & de qua vita loqueris? SOC. In replendo inquam, & euacuando, & omnibus quæ ad ſalutem ſiue perniciem animalium attinent. Et ſi quis noſtrûm in alterutro conſtitutus dolore afficitur, tunc ſecundum mutationes lætatur. PRO. Sic eſt. SOC. Quid quoties in horum medio permanet? PRO. Quomodo in medio? SOC. Ob paſſionem quippe triſtatur, ſed voluptatum interim præteritarum meminit: ceſſat quidem triſtitia, nondum tamen impletur: quid tunc dicendum? nónne in medio paſſionum eſſe? PRO. Dicendum. SOC. Vtrum dolentem omnino vel contrà gaudentem? PRO. Non gaudentem per Iouem, ſed dupla potius affectum triſtitia, ſecundum corpus in paſſione, ſecundùm animam in expectationis ardore. SOC. Quónam modo Protarche dolorem duplum aiebas? Nónne vacuus quiſpiam certam aliquando repletionem ſperat, aliquando contrà deſperat? PRO. Maximè. SOC. Num, dum aſſequi ſperat, ipſa recordatione gaudere videtur? ſimúlque vacuus eo in tempore cruciari? PRO. Neceſſe. SOC. Tunc igitur & homo & animalia reliqua, lætantur ſimul ac mœrent. PROT. Apparet. SOC. At cum vacuus aliquis expletionem omnino deſperat, nónne tunc paſſio duplex circa dolores exoritur, quam ipſe paulò antè intuitus, ſimpliciter duplam opinabaris? PRO. Vera hæc ſunt. SOC. Hac talium paſſionum conſideratione ad id vtamur. PRO. Ad quid ais? SOC. Vtrum voluptates has atque moleſtias veras, an falſas, an alias veras, alias falſas dicere debeamus? PROT. Quo pacto, ô Socrates, voluptates aut moleſtiæ falſæ eſſe poſſunt? SOC. Quomodo etiam, ô Protarche timores veri vel falſi? aut expectationes veræ, ſeu minimè veræ? aut opiniones veræ vel falſæ? PROT. Opiniones equidem confiterer: ſed hæc reliqua minimè. SOC. Quid ais? diſputationem tamen haud breuem incœptare videmur. PROT. Vera narras. SOC. At ſi præcedentibus ſit conueniens, ô viri illius fili, conſiderandum eſt. PROT. Iſtud fortè. SOC. Omne igitur ſuperuacuum, & quicquid præter decorum dicitur, omittendum eſt. PRO. Rectè. SOC. Dic itaque. Continua nempe me admiratio tenet ſemper circa eas quas nunc induximus quæſtiones. PRO. Quo pacto inquis? SOC. An non ſunt ex voluptatum numero falſæ aliæ, aliæ veræ? PRO. Quidni? SOC. Neque reuera igitur, neque falsò vel lætari, cum non lætetur, vel triſtari, cum non triſtetur, aut furentum, aut inſanorum dicetur quiſquam? PROTARC. Hæc omnia ſic ſe habere, ô Socrates, omnes ſuſpicamur. SOC. Num rectè? an fortè conſiderandum eſt, recténe, vel non iſta dicantur? PROT. Conſiderandum quidem mea ſententia. SOC. Diſtinguamus igitur euidentius, quod modò de voluptate atque opinione dictum eſt. Eſtne aliquid apud homines, opinari? PROT. Eſt. SOC. Et lætari? PROT. Et lætari. SOC. Quin & quod opinamur aliquid eſt? PROT. Cur non? SOC. Et hoc

quo gaudemus? PROT. Et hoc. SOC. Qui opinatur, ſiue rectè, ſeu nõ rectè opinetur, ipſum tamen quod reuera eſt opinari, non perdit. PRO. Quo enim modo? SOC. Gaudés, etiam ſiue rectè gaudeat, ſiue non, ipſum tamen quod reuera gaudere eſt, haud amittit. PRO. Imò & hæc ita ſe habent. SOC. Quo igitur pacto opinio vera, & falſa fit, voluptas ſolummodo vera, cùm tamen opinari verè atque lætari vtraque ſimiliter acceperint? PROT. Conſiderandum hoc eſt. SOC. Nunquid ex eo quòd opinioni verum, & falſum indita ſunt? nec ſolùm ob hæc opinio facta eſt, ſed qualis quædam opinio vtraque? Hócne conſiderandum inquis? PRO. Ita. SOC. Præterea inueſtigandum eſt, an voluptas, & dolor ea ipſa duntaxat quæ ſunt permaneant, nunquam verò qualia quędam efficiantur. PRO. Patet. SOC. Verùm haudquaquam difficile eſt, quòd qualia quædam fiant, inſpicere. Iampridem conceſſimus voluptates atque moleſtias, magnas & paruas, vehementes, remiſſáſque fieri. PROTARC. Conceſſimus. SOC. Quòd ſi cui ex his prauitas adiiciatur, vt prauam opinionem ita & prauam voluptatem effici confitebimur. PR. Quid prohibet? SOC. Quid ſi rectitudo vel contrarium rectitudini horum cuiquam admoueatur, num rectam opinionem quæ rectitudinem ſubiit, ac voluptatem ſimiliter appellabimus? PRO. Neceſſario ſequitur. SOC. Etſi quod opinione compræhenditur ſit fallax, nónne opinionem falſam potius quàm rectam vocabimus? PROTAR. Imò. SOC. Item ſi voluptatem vel dolorem circa id quo gaudemus, vel angimur, aberrare cernamus, num rectam aut bonam voluptatem dicimus, aut aliquo præclaro nomine honorabimus? PROTARC. At id fieri nequit, ſiquidem voluptas ipſa delinquat. SOC. Veruntamen ſæpenumero nobis voluptas non ex vera, ſed ex falſa exoritur. PROTAR. Proculdubio attamen opinionem, ô Socrates eiuſcemodi falſam dicimus, voluptatem verò ipſam nemo vtique falſam denominaret. SOC. Promptè nimium, ô Protarche, voluptatis rationem in pręſentia tueris. prot. Minimè. verùm quæ audio, loquor. SOC. Nihilne, ô amice, apud nos differt voluptas ab opinione recta ſcientiáque proficiſcens, ab ea quæ falſam opinionem, & ignorantiam ſequitur? protarc. Conſentaneum eſt, haud breui quodam interuallo diſtare. so. Verum ad hanc ipſam diſtantiam perſcrutandam deueniamus. protarc. Duc age quà lubet. SOC. Ecce hàc te duco. protarc. Quánam? SOC. Opinio, inquimus, quædam vera eſt, quædam falſa. prot. Eſto. SO. Has ſæpenumero (quod nunc dicebamus) voluptas dolórque ſequitur veram, inquam, falſámque opinionem. prot. Sequitur. SOC. An non ex ſenſu ac memoria in nobis opinio naſcitur, & ipſum opinari poſſe? protarc. Præcipuè. SOC. Nónne ſic circa hæc nos habere putandum? protar. Quomodo? SOC. Vt fateare hominem nonnunquam procul aliqua confusè cernentem, cupere clarius quæ cernit, diſcernere? protarc. Fateor equidem. SOC. Is igitur ſic à ſeipſo quodammodo ſciſcitabitur. protarc. Quo pacto inquis? SOC. Quidnam illud eſt quod iuxta ſaxum ſub arbore procul apparet? An hæc ille proferre ſecum tibi videtur, dum eiuſmodi quædam aſpicit, cuiuſmodi ſibi quandoque apparuerunt? protarc. Quidni? SOC. Deinde veluti ſibiipſi reſpondens, homo eſt, inquit, ſibiipſi, tanquam rem iam aſſecutus. protar. Nimirum. SOC. Rurſus fortè progreſſus, ſimulacrum quoddam à paſtoribus fa-

Ex ſenſu & memoria fit hic opinio.

bricatum eſſe aſſerit. protarc. Maximè. SOC. Hic ſi quis adſit, eadem quæ animo ſecum ipſe volutabat in vocem fundens, rurſus præſenti diceret, ac ſermo tunc fieret, quod antè opinionem vocabamus. protarc. Manifeſtum. SOC. At ſi ſolus ſit, hoc idem ſecum ipſe reputans, & diu quandoque in ſeipſo ſeruans procedit. protarc. Prorſus. SOC. Quid ergo? idémne tu hic, quod ego, ſentis? protar. Quid

Anima libro & tabulæ raſæ ſimilis.

iſtud? SOC. Videtur mihi tunc hominis anima libro cuidam perſimilis. protarc. Qua ratione? SOC. Memoria in idem cum ſenſibus incidens, & illa quæ circa iſtas paſſiones ſunt, verba quædam in anima quodammodo inſcribere mihi videntur: cúmque vera conſcribunt, paſſionem huiuſmodi veram opinionem dicimus, & orationes in nobis veræ ab hoc ipſo proficiſcuntur. At cùm ſcriba hic noſter falſa ſcribit, contraria veris eueniunt. protar. Omnino ita mihi videtur, & ea quæ dicta ſunt, libenter accipio. SOC. Accipe alium eorum quæ tunc fiunt in animis noſtris opificem. prot. Quem? SOC. Pictorem, qui poſt ipſum ſcriptorem, dictorum imagines in anima pingit. protarc. Quomodo hunc, & quando id agere dicendum? SOC. Quando ab aſpectu ſiue alio ſenſu dicta, & opinione percepta quis educens, dictorum & opinione perceptorum imagines in ſeipſo quodammodo contuetur. an hoc in nobis efficitur? protar. Vehementer. SOC. Nónne verarum opinionum ſermonúmque imagines veræ, falſæ verò falſorum? protarc. Omnino. SOC. Si modò rectè hæc diximus, hoc in iis prætereà cogitemus. protarc. Quid hoc? SOC. Vtrum circa præſentia atque præterita hoc nobis accidere neceſſe ſit, circa futura nequaquam? prot.

Voluptas & triſtitia, quæ propria animæ eſt, voluptates & dolores corporis præcedunt.

Eadem ratione circa tempora omnia. SOC. Nónne voluptates atque moleſtiæ ipſius animæ propriæ in ſuperiòribus dictæ ſunt voluptates & dolores corporis antecedere? Protereáque & prægaudere, & prædolere nos ob futura contingit? pro. Vera narras. SOC. Vtrùm literæ atque picturæ quas paulò antè nobis imprimi fingebamus, ad præſens præteritúmue reſpiciunt, ad poſterum minimè? protar. Ad omnia. SOC. Num idcirco iis aſſentiris, quòd hæc omnia ſpes quædam ad futurum tempus exiſtunt, nóſque per omnem vitam perpetua ſpe nutrimur? protar. Prorſus. SOC. Age ad hoc præter illa reſponde. protar. Quid rogas? SOC. Vir iuſtus & pius, & probus, nónne Deo amicus eſt? protar. Quidni? SOC. Iniuſtus & improbus contrà ſe habet. protarc. Contrà. SOC. Plurima tamen, vt dicebamus, vnuſquiſque ſpe ducitur. protar. Sanè. SO. Sermones ſunt in vnoquoque noſtrûm, quas ſpes nominauimus. protarc. Inſunt. SOC. Quinetian phantaſmata picta. nam cuique licet fingere ſe cumulum auri maximum poſſidere, oblectamentiſque variis abundantem omni ſuauitate perfundi. protar. Nil prohibet. SOC. Num dicendum interna hæc ſcripta bonis viris, quia Deo amici ſunt, vera ſæpe euadere, malis ſæpenumerò contrà? prot. Dicendum certè. SOC. Et malis viris oblectationes nihilominus adſunt ſæpe confictæ, ac denique falſæ. protar. Quidni adſint? SOC. Falſis igitur voluptatibus praui vt plurimùm geſtiunt, boni homines

Cõcluditur ineſſe veras & falſas voluptates & dolores.

veris aluntur. protar. Neceſſarium dicis. SOC. Inſunt ergo ſecundum hanc rationem falſæ quædam animis hominum voluptates, imitantes tamen veras, ſed ridiculè, ac dolores eodem pacto. prot. Inſunt vtique. SOC. An licebat ſic opinanti omnino, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec vnquam futura ſunt, opinari? PROT. Licebat. SOC. Atque hæc erant quæ tunc opinionem falſam, & opinari falſo efficiebant. An non? PROT. Erant. SOC. Nónne in illis reddendus eſt habitus aliquis voluptatibus moleſtiiſque contrà reſpondens? PROT. Quomodo? SOC. Quod liceat alicui reuera lætari, quoquo modo vel temere etiam geſtienti, non tamen vt ea quæ propter lætatur, vel ſint, vel fuerint aliquando: plerunque etiam lætari in iis quæ nunquam euenient. PROT. Hæc quoque, ô Socrates, neceſſaria ſunt. SOC. Et eadem ratio de timoribus & cupiditatibus, cæteriſque huiuſmodi omnibus ſæpe ſcilicet illa falſa exiſtere. PR. Eadem profectò. SOC. Num opiniones ob aliud bonas vel prauas, quàm quòd veræ vel falſæ ſint, appellamus? PRO. Ob hoc ipſum. SO. Nec voluptates malas ob aliud putamus, quàm quia falſæ? PRO. Omnino, ô Socrates, contrarium protuliſti. Nam & voluptates & moleſtias propter ſolum falſum malas eſſe haudquaquam aſſerere decet, quæ in maximas ac multiplices inſuper prauitates frequenter inpingũt. SOC. Malas voluptates quæ propter prauitatem tales ſunt, paulò poſt ſi placuerit referemus: falſas autem inſuper alio modo, tum ſæpe, tum multas in nobis & eſſe, & fieri, dicendum eſt: hoc enim ad iudicandum fortaſſe nobis confert. PR. Quidni? modò ſint. SOC. Atqui, ô Protarche, mea ſententia, ſunt. Hoc autem dogma quandiu illa apud nos manet, à redargutione tutum eſſe, impoſſibile eſt. PROT. Probè. SOC. Aggrediamur iterum athletarum more hanc diſputationem. PRO. Aggrediamur. SOC. In ſuperioribus diximus, ſi quidem meminimus, cupiditates (quæ ſic vocantur) quantiſper ſeorſim nobis ineſſent, tunc corpus paſſionibus abſque animæ paſſione occupari. PRO. Recordamur, dictáque hæc proculdubio ſunt. SOC. Nónne cupiebat anima contrarium corporis habitum? Receptaculum autem doloris & voluptatis quæ paſſione ſit, erat corpus? PRO. Erat. SOC. Collige quod ex his ſequitur. PRO. Dic. SOC. Quoties iſta concurrunt, congrediuntur quoque voluptates atque dolores, eorúmque ſenſus, quæ contraria ſunt: quod profectò nunc patuit. PRO. Apparet. SOC. Hoc quoque nónne inter nos conuenit, & pro confeſſo à nobis ſuprà poſitum eſt? PRO. Quidnam? SO. Vtrumque magis minúſue ſuſcipere, voluptatem pariter atque dolorem, & ad genus infiniti referri? PRO. Conuenit certè. SOCRA. Quædam eſt igitur via horum rectè iudicandorum. PROT. Vbinam, & quomodo? SOCRAT. Nónne propoſitum in hoc iudicio nobis eſt, paſſim dignoſcere, quænam ex his maior, quæ minor, quæ magis, quo intenſior voluptas ſcilicet ad moleſtiam, & ad moleſtiam moleſtia, ac voluptas iterum ad voluptatem? PROT. Hæc quidem talia ſunt, & iſtud iudicij noſtri propoſitum. SOC. Quid verò? in aſpectu, eminus, aut cominus magnitudines inſpicere, veritatem delet, falſáque opinari compellit: in doloribus autem & voluptatibus idem minimè fit? PROT. Multo magis, ô Socrates. SOC. Id vtique illi quod paulò antè narratum fuit, contrarium eſt. PROT. Quid ais? SOC. Tunc enim opiniones hæ, falſæ veræque effectæ, paſſione ſua dolores vnà & voluptates prorſus implebant. PROTARC. Vera narras. SOCRAT. Nunc autem hæ ex eo quòd paſſim tranſmutare eminus cominus videantur, & ad ſe inuicem comparentur voluptates quidem ad dolores, maiores vehem

vehementioréſque videntur, & dolores rurſus ad voluptates contrà. PR. Talia quædam neceſſe eſt ob eas cauſas fieri. SO. Quòd ſi quanto vtraque maiora vel minora quàm reuera ſint, apparent, tantundem amputaris, nónne id quod cum apparet quidem vtrunque, non tamen ſit, neque rectè apparere dices, neque vnquam eiuſmodi voluptatis vel moleſtiæ portiones rectas aut veras audebis aſſerere? PR. Sic eſt. SOC. Poſt hæc igitur inſpiciamus, num hac ratione occurramus, voluptates ſcilicet atque moleſtias falſas multò magis quàm iſtæ ſint quæ vel apparent in viuentibus vel exiſtunt. PROT. Quales dicis, & quomodo? SOC. Dictum eſt ſæpenumero, quod quorunlibet natura concretionibus vel diſcretionibus, repletionibus vel euacuationibus, incrementis vel decrementis corrupta, dolores, moleſtię, cruciatus, cęteráque iſtiuſmodi nominibus appellata exoriuntur. PRO. Sæpe iam dictum. SOC. At cùm in naturam ſuam reſtituuntur, reſtitutionem talem voluptatem circa nos poſuimus. PROT. Probè. SOC. Quid autem cùm circa noſtrum corpus horum nihil accidit? PROT. At quando id contingit, ô Socrates? SOC. Nihil ad rem, ô Protarche, iſta tua quæſtio. PROT. Cúrnam? SOC. Quia nihil impedies me, quin quod antè rogaueram, rurſus te rogem. PRO. Quid iſtud? SOC. Niſi fieri, ô Protarche, tale quid dicam, quid neceſſe eſt ex hoc nobis contingere? PRO. An id dicis, videlicet corpore in vtranque partem agitato? SOC. Idipſum. PRO. Conſtat ô Socrates, neque voluptatem neque dolorem eoipſo in tempore percipi. SOC. Rectè nimium reſpondiſti. Verùm vt arbitror id ſentis, quòd neceſſe ſit ex iis vnum aliquid ſemper nobis accidere, quemadmodum ſapientes tradunt. cuncta quippe ſurſum deorſúmue ſemper fluunt. PROT. Aiunt ſanè: nec malè loqui videntur. SOC. Quomodo enim malè? cùm mali minimè fuerint. Verùm impendentem ſermonem euitare volo, hàc autem fugere cogito, túque vnà mecum fugito. PROT. Dic quà? SOC. Iſta ſanè ſic ſe habere iis concedamus. Tu verò reſponde vtrum quicquid vnquam patitur animal, idem & ſentiat patiendo, neque dum creſcimus id nos latet, neque dum aliquid aliud huiuſmodi nobis accidit? an cõtrà omnino? fermè enim talia quædam vniuerſa nos fugiunt. PROT. Contrà omnino. SOC. Haud igitur rectè dictum eſt à nobis quod modò diximus, mutationes ſurſum, deorſúmue factas, voluptates & dolores inferre. PRO. Quid igitur? SOC. Sic autem rectius ac tutius dicere licet. PROT. Quomodo? SOC. Mutationes quidem magnæ voluptates doloréſque afferunt: mediocres autem & exiguæ, minimè. PROT. Rectius iſto modo quàm illo, ô Socrates, dicitur. SOC. Enimuerò ſi iſta ſic ſe habent, mox vita in ſuperioribus narrata redibit. PROT. Quænam? SOC. Quam abſque mœrore & lætitia ponebamus. PRO. Veriſſima loqueris. SOC. Ex iis triplicem vitam ponamus, ſuauem, triſtem, neutram. An tu aliud ſen-

Triplex vita.

tis? PRO. Haud aliter quàm ita, triplicem videlicet vitam eſſe. SOC. Non igitur idem erit non dolere quod & lætari. PROT. Nequaquam. SOC. Quoties ergo audies omnium dulciſſimum eſſe vniuerſam vitam ſine mœrore tranſigere, quid tunc ſibi velle id dicentem exiſtimas? PROT. Dulce eſſe, ſignificare ille mihi videtur idipſum quod dicitur non dolere. SO. Pone tria quædam, vt lubet, & vt pulchrioribus vtamur nominibus, alterum aurum, argentum alterum, neutrũ reliquum nominato. PRO. Ponantur. SOC. Quod horum neutrum eſt, potéſtne alterum ex iis fieri, vel argentum, vel aurum? PROTAR. Nequit. SOCR. Vita igitur media, ſiquando ſuauis vel mœſta dicitur, aut exiſtimatur, nequaquam rectè vel exiſtimatur, vel dicitur. PROT. Certè. SOC. Attamen, ô amice, aliquos hęc loqui & opinari ſentimus. PROT. Maximè. SOC. An igitur gaudere tunc quando non mœrent, exiſtimant? PRO. Aiunt quidem. SOC. Nónne tunc gaudere putant? non enim id dicerent. PROT. Fortaſſe. SOC. Falsò de lætitia opinantur, ſiquidem ab vtriuſque gaudij ſcilicet & indolentiæ natura diuerſa eſt. PRO. Diuerſa profectò. SO. Quid igitur percontabimur inter nos, vtrum hæc vel vt tria ſint, vel vt duo ſolùm ac num dolor hominibus malum, dolorum autem vitatio, hoc ipſo nomine bona, dulce nominetur. PROT. Quomodo id, ô Socrates, fiat, à nobiſipſis quæramus: non enim intelligo. SOC. Quia aduerſarios huius, ô Protarche, Philebi reuera non intelligis. PROTAR. Quóſnam inquis? SO. Eos qui rerum naturam præcipuè callere feruntur, qui voluptates eſſe negant. PROTAR. Quid ergo? SOCR. Dolorum effugia eas omnes vocant, quas Philebi ſectatores nuncupant voluptates. PROT. Hiſne vt credamus, ô Socrates, conſulis? SO. Nequaquam, ſed tanquam vatibus quibuſdam vtamur, non arte, ſed quadam non ingeneroſæ naturæ moroſitate à voluptate nimis abhorrentibus, nihilque in ea ſani eſſe exiſtimantibus, adeò vt illas ipſas quoque eius illecebras maleficam quandam illaqueationem potius quàm voluptatem vocent. His ergo ad hęc vtere conſiderans pręterea & alias ipſorum moroſitates. Poſt hęc autem & quas ego veras exiſtimem voluptates, accipito, vt ex vtriuſque ſermonibus vim eius conſiderantes, ad iudicandum denique apponamus. PRO. Rectè inquis. SOC. Hos igitur tanquam propugnatores ſecundum moroſitatis, & aſperitatis eorum veſtigium proſequamur. Reor equidem tale quiddam eos dicturos eſſe, principio alicunde longius repetito: ſi ſpeciei cuiuſcunque naturam cognoſcere velimus, velut duri naturam, vtrum ad duriſſima reſpicientes, ſic maximè cognoſceremus, an admini mè dura? Oportet te, ô Protarche, iſtis moroſitatibus quemadmodum & mihi reſpondere. PROT. Oportet ſanè, illiſque reſpondeo, ad primas magnitudines ſuſpiciendum. SO. Si voluptatis genus quam naturam habeat noſſe velimus, non in paruas voluptates longéque à ſuprema remotas, verùm in eas quæ ſupremæ vehementiſſimæque dicuntur, aſpiciendum. PROT. Quilibet nunc iſta tibi concederet. SOC. Num quæ in promptu præ cæteris poſitæ, ac maximæ voluptates ſunt, vt ſæpe diximus, ipſæ ſcilicet circa corpus exiſtunt? PROT. Quidni? SOC. Verùm vehementiores in ægrotantibus, quàm bene valentibus reperiuntur? Caueamus obſecro, ne temere reſpondentes offendamus. PRO. Quónam pacto? SO. Fortè enim in bene valentibus fateremur. PRO. Veriſimile eſt. SOC. An non voluptates illæ excedunt magnopere, quarum maximę cupiditates adſunt? PROT. Verum id eſt. SOC. Nónne febribus & huiuſmodi morbis affecti homines & ſitiunt vehementer & algent, & quodcunque pati corpore conſueuerunt, magis admodum quàm cæteri patiuntur? quo fit vt magis indigeant, indigentiamque replentes, vehementius delectentur. An verum hoc eſſe negabimus? PRO. Omnino, vt dictum eſt, apparet. SOC. Quid verò, num rectè ſentire videbimur, aſſer

Voluptates effugia dolorum.

Quę ſpectanda cum ſpeciem dignoſci oporteat.

Verùm voluptates maiores in ſanis, an in ægris.

aſſerentes, ſi quis maximas voluptates videre velit, non ad ſanitatem, ſed ad morbum reſpiciendum? Et vide ne me hoc cogitantem rogare putes, pluribúſne oblectationibus ęgrotantes quàm bene valentes deliniantur, ſed magnitudo & vehementia voluptatis vbinam plurimum ſit, interrogare putato: ſcrutandum quippe qua natura conſtet, prædiximus, quámue dicant, qui nullo modo eſſe illam aſſeuerarunt. prot. Teneo penè quod inquis. soc. Fortaſſis etiam, ô Protarche, nõ minus demõſtrabis. Reſponde modò. In laſciuiáne & petulantia non plures dico, ſed vehemẽtiores & vi maiores voluptates, quàm in temperata vita vides? Dic amabo, animum aduertens. PR. Percepi quid velis, & exceſſum cerno quáplurimũ. tẽperatos nempe prouerbium nihil nimis præcipiens, ſemper continet, & huic illi obtemperant. Intemperantes autem & petulantes homines voluptatis feruor ad furorẽ vſque occupans, immoderatis clamoribus exultare compellit. so. Rectè loqueris. Et ſi verum hoc eſt, patet in quadam deprauatione tum animæ, tum corporis, potius quàm in virtute, vehementes voluptates, vehementéſq; cruciatus conſiſtere. prot. Patet certè. so. An non aliquas è multis elicere decet, & inueſtigare qua ratione maximæ vocari debeant? prot. Neceſſe eſt. soc. Aduerte itaque talium morborum voluptates, qua ratione ſe habeant. prot. Qualium? so. Deformium voluptates, quas illi quos difficiles & moroſos vocauimus, penitus horrent. prot. Quales inquam? soc. Velut in ſcabiei medela quæ fricando fit, cæteríſque huiuſmodi, haud alio pharmaco indigentibus. hoc enim malũ, prò, dij immortales, voluptatémne, an dolorem potius nuncupabimus? protarc. Malum quiddam, ô Socrates, mixtum hoc eſſe videtur. so. Haud equidem, vel Philebi gratia, hoc exemplum produxiſſem: ſed niſi hæ ô Protarche, voluptates, & quæ haſce ſequuntur, inſpiciantur, nunquam ferme quod quæſitum nunc eſt, diiudicare valemus. prot. Ergo ad iſtarum cognatas pergendum eſt. so. Num eas inquis, quæ immixtione communicant? prot. Has ipſas. soc. Sunt igitur mixtiones corporis quidem ipſius in corporibus, animæ in anima. Et dolores animę & corporis voluptatibus mixtos reperiemus, eámque vtrorumque commixtionem interdum voluptatem, interdum verò dolorem cognominatam. prot. Quónam pacto? soc. Vt ecce cum quis in reſtitutione, vel corruptione ſimul contraria patitur, algens ſæpe caleſcit, & calens aliquando refrigeſcit, quærens, vt arbitror, id aſſequi, illud abiicere, ac quod dicitur, amaro dulce permixtum, & cũ difficultate reiectionis adſiſtens moleſtiam, pòſt ferum congreſſum facit. prot. Eſt maximè verum quod dicis. so. Nónne harum mixtionum quædam ex æquali vtrinque & voluptate & dolore, quædam ex alterutro excedente conflantur? prot. Nihil prohibet. so. Dic igitur ex earum numero quæ doloris plus quàm delectationis continent, eas eſſe quæ ſequuntur ſcabiem & titillationes quando quod intus eſt, feruet atque gliſcit, neque huc perfricando aut exagitando quis attingit: ſed quod circa cutem eſt ſolum, diffundit. Tum ſanè illa in ignem ferentes, & nunc huc, nunc illuc conſilij inopia reuoluti, inæſtimabiles ſæpenumerò voluptates pariunt: aliquando contrà interioribus ad exteriorum moleſtias voluptatibus mixtis, in vtram partem declinatio fiat, exhibent, ex eo quòd commixta per violentiam diffundant, vel diſperſa confundant, ſimúlque voluptatibus dolores admoueant. prot. Vera narras. soc. Nónne iterum cùm voluptas amplior ſecundum hæc omnia commiſcetur, tunc portio doloris immixta titillat, & leuem quandam indignationem parit? atque iterum voluptatis vberior pars infuſa prouocat, & interdum proſilire compellit, & omniformes colores, omnigenas figuras, omnimodos ſpiritus cum omni incitamento, & exclamationes cum inſania parit? prot. Summopere. so. Cogit præterea, ô amice, de ſe, tum ipſum, vel tum alium exclamare, quòd his voluptatibus perfuſus propemodum moritur: eóque magis eiuſcemodi voluptates ſectatur quiſque, quo intemperatior quis & imprudentior eſt. Atque has inſuper ſummas oblectationes prædicat, & eum qui in iis deliciis vel maximè totam vitam agit, beatiſſimum numerat. prot. Omnia quæ apud multos in exiſtimationem veniunt, ô Socrates, collegiſti. soc. De voluptatibus, ô Protarche, quæ in communibus corporis paſſionibus extrinſecus intrinſecúſue miſcẽtur, eſt dictum. De iis verò quæ miſcentur in anima, contraria quędam ad corpus coniiciuntur, voluptatem ſcilicet cum dolore, & dolorem cum voluptate in vna mixtionem concurrere. Et hæc in ſuperioribus percurrimus, quod quando exinanitur, repletionem cupit, & ſperans gaudet, inanis angitur. Iſta tunc quidem teſtimoniis minimè confirmauimus, nunc verò dicimus, quòd anima à corpore diſcrepante in iis omnibus, quorum haud ſatis multitudo compræhenditur, mixtio vna doloris & voluptatis emergit. prot. Rectè nimium loqui videris. soc. Vna præterea doloris voluptatíſque congreſſio reſtat. protar. Quænam? soc. Quam ſæpe ipſam in ſeipſa animam accipere diximus. prot. Qua ratione hoc aſſerimus? soc. Iram, timorem, deſiderium, lamentationem, amorem, ęmulationem, inuidiam, & huiuſmodi reliqua, an non hæc omnia dolores quoſdam ipſius animæ ponis? protar. Equidem. soc. Nónne dolores huiuſmodi plenos miris quibuſdam voluptatibus inuenire licet? An fortè in memoriam nobis illud reducere oportet, Quæ fecit excandeſcentia & ira virum prudentiſſimum ſæuire: Et multò dulcior melle effuſo, & voluptates in lamentationibus atque deſideriis triſtitiæ mixtas? protar. Nequaquam, verùm ſic hæc, nec aliter accidunt. so. Quin etiam meminiſti eos, qui tragicis ſpectaculis adſtant, dum delectantur, ſæpe lugere. prot. Memini. soc. Et in comœdiis animi noſtri affectum ad oblectationem ſimul atque mœrorem declinare ſenſiſti. protarch. Haud ſatis aduerti. soc. Non enim facile eſt, ô Protarche, affectum huiuſmodi vbique compræhendere. protarchus. Non certè, vt mihi videtur. SOCRATES. Ipſum igitur tanto magis accipiamus, quanto eſt obſcurior, vt in cæteris facilius quis voluptatis triſtitiæque concurſum percipere valeat. protarch. Dic iam. SOCRATES. Inuidiæ nomen paulò antè inductum, vtrùm dolorem quendam ſignificare cenſes, nécne? PROTAR. Cenſeo. SOCRATES. Inuidus tamen proximorum aduerſis lætari depræhenditur. PROTARC. Vehementer. SOC. Malum quidem ignorantia eſt, & vt nunc loquimur, ſtoliditas quædam. PROTARC. Quidni?. SOCR. Ex his vide ridiculum illud quam naturam habet. PROTAR. Dic modò. SOCRAT. Eſt vtique ſummatim deprauatio quædam habitus alicuius cognomento dicta, improbitatis verò vniuerſæ genus

quod

Mixtiones voluptatis & doloris in corpore.

Mixtiones voluptatis & doloris animæ in anima.

Voluptates animæ in anima.

Inuidiæ nouum fuiſſe nomen.

Ignorantiæ cognomina.

quoddam eſt, contrà prorſus habens, quàm Delphica pręcepta docent. PR. Præceptum hoc inquis, ô Socrates, Noſce teipſum? so. Aio. Oppoſitum huic eſſet, ſi fortè præciperetur, Nullo modo teipſum noſce? PR. Eſſet. so. O Protarche, conare nunc id trifariam diſtribuere. PRO. Dic tu, ego enim nequeo. so. Ais ergo me nunc iſtud diuidere oportere? PR. Et obſecro quidẽ, quod maius eſt. so. Nónne quiſque ex iis qui ſeipſos ignorant, ſecundum tria id neceſſariò patitur? PR. Quomodo? so. Primò enim ſecundum pecunias: opulentiorem quippe quàm ſit, aliquando ſeipſum exiſtimat. PR. Multi quidem ita decipiuntur. soc. Plures etiam qui maiores formoſioréſque ſe putant, & quæcunque ad corpus attinent, ſupra quam reuera ſunt. PR. Plures profectò. soc. Longè verò plurimi, quod ad tertiam ſpeciem attinet, qui animi dotes maiores quàm habeant, habere ſe putant. PR. Et maxime quidem. soc. Quantum verò ad virtutes animi pertinet, nónne vulgus ſapientiam prorſus ſibi vendicans, plenum eſt contentionibus, falsáque ſapientiæ ipſius opinione? PR. Quidni? soc. Si quis ergo afflictionem illam omne malum quiddam vocarit, rectè nimirum appellabit. PR. Maximè. soc. Hoc igitur iterum, ô Protarche, bifariam partiendum, ſi ridiculam inuidiam cognoſcentes, miram voluptatis & modeſtiæ mixtionem noſſe velimus. PR. Quomodo bifariam partiendum? so. Ita: Quicunque hanc falſam de ſe opinionem ſtultè præſumunt, iis quemadmodum & omnibus cæteris mortalibus accidat neceſſe eſt, vt quidam eorum robur ac potentiam in iis quæ profitentur habeant, quidam verò nequaquam. PR. Neceſſarium eſt. soc. Hac ergo ratione diſtingue, quicunque ex iis imbecilles ſunt, & deriſi, vlciſci iniurias non poſſunt, meritò ridiculi nuncupantur: qui verò poſſunt, terribiles & robuſti & hoſtiles iure vocantur. Ignorantia enim potentum robuſtorúmque hominum hoſtilis atque teterrima res eſt. hęc enim & quęcunque eius ſimilia proximis omnibus noxia. ſin autem imbecillis ignorantia ſit, ridiculorum naturam ſubit. PR. Rectè loqueris. Attamen voluptatis, doloríſque concurſus nondum in iis nobis patuit. soc. Liuoris primò vim accipe. PR. Dic. soc. An non triſtitia quædam, lætitiáque iniuſta eſt? PR. Neceſſarium hoc eſt. soc. Aduerſariorum malis lætari nec iniuſtum, nec inuidum eſt. PR. Non. soc. Malis autem amicorum lætari potius quàm triſtrari, nónne iniuſtum eſt? protar. Eſt. soc. Ignorantiam omnibus malam eſſe diximus. prot. Et rectè quidem. so. Amicorum igitur arrogantiam ſapientiæ atque pulchritudinis, & quodcunque paulò antè diximus tribus in ſpeciebus fieri, ridicula quidem cùm imbecillia odioſa verò cùm valida: hunc inquam, amicorum habitum nónne fatemur quum quis innoxium aliis habet, ridiculum eſſe? prot. Fatemur ſanè. soc. Hunc quoque cùm ignorantia ſit, malum eſſe? protarch. Certè. soc. Lætamúrne, an triſtamur, dum hæc irridemus? protarch. Lætamur planè. so. Voluptatem verò in amicorum malis, nónne à liuore proficiſci prædiximus? protar. Certè. so. Nos igitur in amicorum rebus ridiculis ſubridentes miſcere voluptatem dolori, dum inuidiæ lætitiam addimus, ratio iſta concludit. liuorem quippe triſtitiam quandam animæ iamdudum eſſe conſtitit, deriſionem verò lætitiam, ſimúlque hæc in eo tempore congredi patuit. protarch. Vera loqueris. soc. Ratio igitur nobis hæc dictat, nos non modò in lamentationibus & in tragœdiis, neque in fabulis tantùm, ſed in totius vitæ tragœdia atque comœdia dolores voluptatibus immiſceri & in aliis ſexcentis. protarch. Impoſſibile eſt iſta tibi, ô Socrates, non concedere, etiam ſi quis alteri parti potiſſimum adſtipularetur. soc. Iram, deſiderium, lamentationem, metum, amorem, æmulationem, inuidiam, propoſuimus, cæteráque huiuſmodi in quibus diximus nos reperturos ea quæ iam ſæpe repetimus, commixta, an non? prot. Ita. soc. Num videmus quòd de lamentatione, ira atque inuidia omnia iam ſunt nobis confecta? pro. Quidni videamus? socr. Multa igitur reſtant. prot. Sanè quàm multa. so. Ob quam verò potiſſimum cauſam mixtum in comœdiis affectum declaraſſe me tibi exiſtimas? nónne fidei gratia? quia in amoribus timoribúſque & aliis huiuſmodi mixtio ipſa facilius oſtendi poteſt. Quæ cum ex te ipſo intelligas, me dimitte, nec me cogas ad illa ſingulatim ordine deſcendentem, in longum diſputationem producere: verùm ſimpliciter id accipito, & animam abſque corpore, & abſq; anima corpus, & mutuum etiam vtrorumque congreſſum, in omnibus perturbationibus habere voluptatis & doloris concurſum. Dic ergo nunc, vtrum me dimittes, an ad multa noctem detinebis. Reor enim te ſi pauca quędam dixero, me dimiſſurum. nam de his omnibus cras me tibi dicturum polliceor: in præſentia verò ad iudicium quod Philebus inſtituit, pergere cupio. prot. Præclarè inquis, ô Socrates, & idcirco quæ reſtant, vtcunque tibi placuerit, enarrato. so. Secundum naturam quidem poſt mixtas voluptates neceſſitate quadam ad puras immixtáſque quodammodo deueniemus. prot. Rectè nimirum. soc. Conabor equidem, ſed variando eas nominare. Nam his qui dicunt voluptates omnes dolorum ſedationes eſſe, haud prorſus aſſentior. Cæterùm, vt dixi, iis quaſi teſtibus vtens, oſtendendo pleráſque videri quum non ſint, voluptates, item alias quaſdam magnas multáſque videri, ſed mixtas eſſe triſtitiæ, & ſedationib. ingentium dolorum, & circa corporis & circa animæ defectum. prot. Quas denique voluptates veras, ô Socrates, meritò cenſere quis debet? soc. Eas vtique quę circa decoros colores, figuráſque & odores pleroſque & ſonos conſiſtunt, præterea quæ circa ea ſunt, in quibus defectus quidem eſt, ſed qui nec ſentitur, nec lædit. Impletio verò, quæ & ſuauis eſt, & ſentitur, & triſtitia vacat. prot. Qua ratione, ô Socrates, hæc ſic dicimus? soc. Sunt quæ loquor haud ſtatim perſpicua, veruntamen explicare conandum: figurarũ enim pulchritudinem, non vt pleriq; forſitan intelligerent, vt puta animalium vel picturarum quarundã nunc propoſui dicere. ſed rectum quiddã & circulare, & ab iis ea quæ tornis fiunt, plana vel ſolida, & quæ canonibus, id eſt, regulis atq; angulis conſtruuntur, ſi modò hæc tenes. hæc ſiquidem nequaquam ad aliquid aliud reſpicientia, quemadmodũ cætera pulchra dico, ſed pulchra ſemper ſuapte natura, voluptates proprias nullo modo motuum delectationibus cõuenientes habentia: eadẽ ratione colores item pulchros atq; gratos eſſe dico. Sed nunquid intelligimus, aut quid eſt? protar. Annitor equidem, ô Socrates: verùm ipſe quoque lucidius explicare nitere. soc. Dico prætereà & voces perſpicuas & ſuaues, vnámque aliquam puram penitus concinnentes melodiam, ad nihil aliud comparatas, ſed natura ſua pulchras eſſe, & innatam afferre

volup

Ignorantia potẽtum teterrima res.

Liuoris vis.

De puris voluptatibus.

Quæ veræ voluptates.

Genus voluptatū odores ſequentium minus diuinum.

voluptatem. PRO. Hoc quoque verum eſt. SO. Genus autem voluptatum quod odores ſequitur, minus diuinum eſt: quòd autem ipſis neceſſarij dolores nequaquam miſceantur, & in quo id ineſſe contingat, cum illis proximis eadē prorſus ratione habere dico. Iámque duas voluptatum ſpecies, ſi modò intelligis, collegimus. PRO. Intelligo. SOC. Hic item diſciplinarum voluptates addamus, ſi & iſtæ famem diſcendi nequaquam continere videntur, neque propter diſciplinarum auditatem principio ſtatim dolores inferre.

Diſciplinarū voluptates duplices.

PRO. Mihi ſic videtur. SOC. Quid verò, ſi quis doctrinis imbutus, earum poſteà per obliuionē iacturā faciat, nónne triſtitiam quandā ſequi vides? PR. Nō natura quidem, ſed quadam paſſionis cogitatione, cum quis orbatus propter indigentiam triſtatur. SOC. Cæterùm, ô beate, nos in præſentia non opinionis, ſed naturæ paſſiones tractamus. PRO. Verum eſt igitur quod aſſeris, doctrinæ obliuionem plurimum abſque triſtitiā euenire. SO. Voluptates igitur diſciplinarum doloris expertes, nec multorū hominum, ſed paucorū admodum eſſe fatendum. PRO. Fatendum proculdubio. SOC. Poſtquàm igitur voluptates puras ab his quæ recte propemodum ſic dicuntur, impuris ſecreuimus, addenda eſt iam vehemētibus voluptatibus immoderatio, remiſſioribus moderatio. Eáſque etiam quæ intenſius, remiſſius, magnum, paruum, rarò, crebrò, ſuſcipiunt, ad infiniti genus, quod per animam corpúſque ſecundum magis minúſue diſcurrit, referre decet: quę verò iſta non capiunt, ad cōmenſurati genus potius referendę. PRO. Rectiſſimè inquis, ô Socrates. SO. Poſt hęc id inſuper circa voluptates inſtituendum. PR. Quid iſtud? SO. Vtrùm purum ipſum atque ſyncerum dicendū ſit, conferre ad veritatem, potius & vehemens, multum magnúmque & ſufficiens? PRO. Quid tibi vis, dum iſta rogas, ô Socrates? SOC. Nihil ô Protarche, in ipſa diſceptatione voluptatis & ſcientiæ prætermittere vellem. ſiquidem vtriuſque illorum portio quædam pura, quædam impura eſt, vt vtrūque purum in iudicium veniens, & mihi & tibi, & iſtis denique cunctis ad iudicandum ſe apertum expeditúmque præbeat. PRO. Scitè. SO. Age igitur de omnibus quæ genera pura vocamus, in hunc modum cogitemus, vnum aliquod ex illis primum in medium inducentes. PRO. Quid potiſſimùm eliciemus? SO. Album ſi vis, primò genus conſideremus. PRO. Volo equidem. SOC. Quomodo ita albi, & quæ puritas erit? Vtrum quod maximum quiddam eſt ac plurimum? an quod ita ſyncerum, vt nihil in eo coloris alterius inſit? PRO. Conſtat planè, quod præcipuè ſyncerum eſt. SO. Probè. nónne hoc veriſſimum, ô Protarche, & pulcherrimum alborum omnium affirmabimus, non autem quod plurimum aut maximum? PROT. Rectè. SO. Si ergo quod paruum purúmque album eſt, mixto multóque albo albius ſimul & pulchrius & verius eſſe dicamus, rectè penitus aſſeremus? PROT. Rectè proculdubio. SOC. Nunquid exemplis huiuſmodi pluribus ad iudicandam voluptatem egebimus? an potius hinc noſce ſufficiet, quod vniuerſa voluptas parua quàm magna, pauca quàm multa, modò à dolore remota ſit, ſuauior eſt & verior, ac denique pulchrior? PRO. Maximè ſanè, & exemplum hoc idoneum eſt.

Voluptatis generationē ſemper eſſētiam verò nunquam exiſtere.

SO. Quid verò hoc? quòd audiuimus voluptatis quidem generationē ſemper, eſſentiam verò nunquam exiſtere. Elegantes enim quidam viri nobis hoc tradere conātur, eiſque gratia eſt habēda. PRO. Quid tum? SO. Viſne id interrogando ô amice Protarche, percurrā? PRO. Dic, & interroga modò. SO. Sunt igitur duo quædā, vnū quidem ſecundum ſeipſum, alterum ſemper aliud appetens. PRO. Qua ratione? & quæ iſta eſſe dicis? SO. Hoc ſuapte natura ſummoperè venerādum, illud verò deficiens. PR. Exprime clarius. SO. Vidimus ſæpenumero pueros pulchros ſimul & probos, & viros eorum amatores. PRO. Vidimus. SOC. Iſtis ergo duobus exiſtentibus, duo quædam alia conſimilia quęre per omnia quæcunque dicimus alteri tertium eſſe. PRO. Profer obſecro Socrates, clarius adhuc quod ſentis. SO. Nihil eſt hic diuerſum, ô Protarche, ſed iocamur. Dicimus autem quòd ex iis quæ ſunt, aliquid ſemper eſt alterius gratia, aliquid verò cuius gratia ſemper id quod alterius gratia fit, efficitur. PRO. Vix tandem ob crebram repetitionem percipi. SO. Fortè ô puer, procedente diſputatione clarius compræhēdemus. PR. Quidni? SO. Duo hęc altera iterum adſumamus. PRO. Quænam? SO. Alterum quidem omnium generationem, eſſentiam alterum. PRO. Equidem duo hæc abs te accipio, eſſentiam & generationem. SO. Rectè: vtrum autem horum alterius gratia dicimus? generationémne eſſentiæ gratia? vel eſſentiam cauſa generationis? PRO. Hoc quod appellatur Eſſentia an generationis cauſam dicamus? hóccine eſt, quod nunc percontaris? SOC. Videor. PRO. Sed per deos quid me interrogas? SO. Eiuſcemodi quiddam, ô Protarche, interrogo, num fabricatio nauium nauigij gratia ſit? An contrà nauigium fabricationis nauium? Et de omnibus quæcunque talia ſunt, idem dico, ô Protarche. PRO. Cur non ipſe, ô Socrates, tibi ipſi reſpondes? SO. Nihil prohibet. Attamen tu quoque ſimul loquere. PROT. Imò. SOC. Generationis gratia inquam, pharmaca & organa omnia, omnémque materiam omnib. adhiberi, ſingulas autem generationes ſingularum eſſentiarum, vniuerſam denique vniuerſæ eſſentiæ gratia. PRO. Perſpicuè admodum. SO. Nónne & voluptas, ſiquidem generatio eſt, alicuius eſſentiæ gratia neceſſariò fiet? PRO. Quidni? SOC. Quod tale eſt, vt eius gratia fiat, quod ſemper alterius gratia fit, in boni ſorte locatur: quod verò alterius gratia, in aliam ſortem, ô vir optime, reducendum videtur.

Id cuius gratia fit, bonū.

PR. Neceſſarium id omnino. SOC. Quamobrem ſi voluptas generatio eſt, ad aliam quam boni ſortem meritò referemus. PRO. Meritò certè. SOC. Nónne vt in principio diſputationis huius prædixi, dicenti voluptatis quidem generationem, eſſentiam verò nullam exiſtere, habenda gratia eſt? Conſtat enim eos qui voluptatem bonum prædicant ab hoc derideri.

Quod voluptas non ſit bonum.

PROT. Magnopere. SOC. Quinetiam hic idem eos qui generationi impenſius ſtudent, ridebit. PRO. Quo pacto & quales ais? SOC. Eos qui dum famem ſitimque reſtinguunt, vel aliquid aliud ex iis quæ generatio curat ac ſedat, generatione lætantur, quaſi ipſa ſit: aiúntque vitā ſe nihil moraturos, niſi ſitiant & eſuriant, atque aliis quæ hæc ſequuntur, afficiantur. PROT. Videntur ſanè. SO. Eius autem quod fieri eſt contrarium, deſtrui ipſum cuncti fatemur. PR. Neceſſariò. SO. Corruptionem generationémque eligit quiſquis hæc expetit: non autem tertiam illam vitam, quam & lætitia & triſtitia vacuam, intelligētiæ verò quoad fieri poteſt, puriſſimè compotem propoſuimus. PROT. A ratione procul, ô Socrates, erit quicunque voluptatem nobis bonum aſſeuerabit. SOC. Procul admodum, quandoquidem & hæc

præt

præterea ratione oſtendere licet. PRO. Qua? SOC. Cur enim non abſurdum ſit, cū nihil bonum decorúmue ſit, ſiue in corporibus, ſiue in aliis vllis præterquā in anima, in ea tamen ſolūmodo voluptatē bonū vocare? fortitudinē verò, tēperantiā, intelligentiā, ac reliqua quæcunq; bona ſortitus eſt animus, minimè? Ac præterea hominē voluptatis expertē, dolore verò affectum, malū tunc dum dolet, aſſerere, licet omniū optimus ſit, & eum contrà qui voluptatibus delinitur, quò magis geſtit, eò virtute præſtantiorem dicere? PROT. Hæc, ô Socrates, omnia ſuprà quàm dici poſſit, abſurda ſunt.

Scientiarum puritas.

SOC. Ne tamen diſputationem omnem in voluptate conſumamus, mentē verò & ſcientiā prætermittere videamur, age iam ſi quid ſordidū etiam his adiacet, excutiamus, donec ad puriſſimā eorum naturā tandem penetrātes, & ipſam inſpiciētes, ad iudicandū tum harum, tum voluptatis partibus veriſſimis vti poſſimus. PROT. Scitè. SOC. Nónne aliud nobis ſcientiam circa doctrinas, aliud circa educationem vel nutritionē exhibet? PRO. Sic eſt. SOC. In manuariis primùm artibus videamus num artiū alia ſcientia magis, alia minus ſit, oporteátq; aliam puriſſimam, aliam impuriſſimam arbitrari. PRO. Decet profectò. SOC. Præcipuas vtiq; à ſingulis diſcernendum.

Potiſſima in artibus.

PRO. Quales, & quo pacto? SOC. Vt ecce ſi quis ab omnibus artibus ſegregaret numerandi dimetiendiq; & ponderandi peritiā, vile quiddam eſſet, quod vniuſcuiuſque reſtaret. PRO. Vile profectò. SOC. Reſiduū quippe imaginatione quadam ac ſenſuum experiētia & exercitatione, coniecturiſq; conſequi liceret, quas plerique artes vocant, cura & labore vim ſuam omnem adeptas. PROT. Neceſſaria prorſus dicis.

Muſica vſuraria, & ſine menſura.

SOC. An non muſica iis plena eſt? primò concentū contemperat non menſura, ſed diligētiæ potius coniectura, tum vniuerſa eius pulſandi facultas menſurā chordę cuiuſq; coniectura motę perquirit. Itaq; vt obſcuritatē plurimam mixtā habet, ita ſtabilitatem minimam. PRO. Veriſſimè.

Debilitas medicinę

SOC. Quinetiā medicinā, agriculturam, gubernatoriā, militarē ſimiliter inſtitutas eſſe reperiemus. PRO. Quāmaximè. SOC. Architecturā verò menſurę, & inſtrumēta iam plurima quibus vtitur illa crebrò, vt perſpicacē maximè, ita ſupra cęteras artificioſam maximè reddūt.

Nobilitas architecturæ.

PRO. Quònam pacto? SOC. In ipſa profectò nauium & domorū conſtructione, multiſq; aliis id genus materiæ elaborandi quodāmodo pertinētibus vtitur amuſſi reguláque, torno, circino, filo, perpēdiculo, inſtrumēto quoq; ad dirigenda ligna idoneo. PRO. Recte admodum, ô Socrates, inquis.

Artes in duplici ordine.

SOC. Ponamus igitur eas quæ dicuntur artes, in ordine duplici, alias quæ muſicam quidem in operibus ſectantur, perſpicacię minoris participes, alias architecturæ pediſſequas aliquāto maioris. PRO. Ponamus. SOC. Harum omnium perſpicaciſſimas, quas paulò antè primas vocauimus. PRO. Numerandi peritiam, & quas cum illa ſuprà iunxiſti, innuere nunc mihi videris. SOC. Prorſus, ſed num, ô Protarche, has iterum duplices affirmare, an aliter debemus? PRO. Quas inquis? SOC.

Arithmetica duplex.

Arithmeticam primò, nónne aliā vulgarium, aliam Philoſophantium? PRO. Quánam ratione quis partiens aliam atque aliam arithmeticam aſſeret? SOC. Haud exigua diſcrepantia, ô Protarche. Illi porrò vnitates inæquales eorū quæ ſecundum numerum ſunt, dinumerāt, velut duos exercitus, boues duos, duo quæ minima, duo etiā quæ omniū maxima: hi verò nunquā eos ſequerentur, niſi quis partiū vnitatē aliā ab alia vnitate nihil diſcrepantē poſuerit. PRO. Quàm optimè loqueris, dum multam infers diuerſitatē eorū qui circa numerū verſantur, adeò vt decens ſit, in duo quædam diuidere. SOC. Quid verò cōputandi & dimetiendi illa ſecundū architecturā mercaturámue facultas, itémq; illa ſecundū philoſophiam geometria ratiocinatióque diligens, verum vna quædā, an duæ potius artes ſunt?

Geometria duplex.

PRO. Priorem ego reſponſionē ſecutus, mea quidem ſententia, duas eſſe ponerem. SOC. Probè: ſed num intelligis cuius gratia in medium hæc induximus? PRO. Forſitan, attamen quod nunc quæſitum eſt, explanare te velim. SOC. Diſputatio noſtra quæ iādiu proportionem quandam æqua diuiſionis conuerſione voluptatibus reſpondentem quærit, videtur mihi nūc non minus quàm ab initio aſſequuta fuiſſe quod quærit, dum indagat, nū ſit ſciētia quædam alia ſcientia purior, quemadmodū voluptate voluptas. PRO. Conſtāt horum gratia iſta tractata fuiſſe.

Artes differre.

SOC. Quid autē? nónne in ſuperioribus aliam artem in alia eſſe repertum eſt, clarioremq; aliam, & obſcuriorem aliam? PRO. Maximè. SOC. In iis autem an non artem quandam ratio velut æquiuocam proferens, & quaſi vnam innuens, rurſus quaſi duæ ſint, inquirit num perſpicuitas puritáſq; illarum penes philoſophātes, aut non philoſophantes exiſtat? PRO. Et maximè quidem id inquirere mihi videtur. SOC. Quale hîc reſponſum, ô Protarche, reddemus? PRO. O Socrates, ad miram ſcientiarū differentiā declarandā deſcendimus. SOC. An non reſponſio facilis? PRO. Quidni? aſſeramus itaque has artes longo interuallo à cæteris diſcrepare. Ab iis præterea eorum qui re vera philoſophi ſunt, ſtudium mirū in modum ſynceritate & veritate circa menſuras numeróſque differre. SOC. Sunto igitur iſta ex tua ſententia, nóſq; tibi credentes, audacter importunis diſputatoribus reſpondeamus. PROT. Quidnam? SOCR. Duas arithmeticas eſſe, ac duas metiendi artes, aliáſq; facultates harū comites plurimas, geminationem habentes huiuſmodi, & in nomine vno communicantes. PRO. Demus ſecunda fortuna his quos importunos vocaſti, reſponſionem hanc, ô Socrates. SOC. Háſne ſcientias quàm maximè ſynceras, atque ſupremas aſſeueramus? PRO. Omnino. SOC. Veruntamen, ô Protarche, nos diſſerendi facultas ipſa facere nō patiatur, ſiquam aliam ipſi præferemus.

Logica artibus omnibus pręfertur

PRO. Quam rurſus hanc dicere decet? SOC. Eam quæ omnem modò inductam peritiam noſcit. hanc enim cùm circa id quod eſt, & verè eſt, & ſemper eodem modo ſe habet, verſetur, arbitror omnes quibus modò aliquid ſanæ mentis adſit, longè omnium veriſſimam cognitionem eſſe protinus conceſſuros. Tu verò, ô Protarche, quid ſentis? PROT. Gorgiam ſæpe audiui, cùm diceret perſuadendi facultatem artibus cunctis præcellere: quippe quæ conſtat non vi, ſed ſponte ſibi ſubiiciat, longéque omnium artium optima ſit.

Gorgias prætulit artem dicēdi cunctis artibus.

Nūc verò nec tibi, nec illi aduerſari velim. SOC. Arma mihi vidêris dicere voluiſſe, verùm pudore adductus prætermiſiſſe. PROT. Sunto hæc vt lubet. SOC. Egóne in cauſa ſum vt minus bene acceperis? PROT. Quid? SOC. Non ego, ô amice Protarche, quæ ars, aut ſcientia omnibus eò antecellat, quòd maxima potiſſimâque & vtiliſſima omnium ſit, ex te quæſiui: ſed quæ perſpicuum, ſyncerum, veriſſimum contempletur, quamuis parua

ſit ac

ſit ac minimè vtilis: hoc profectò eſt quod modò
quærimus. At vide: nihil enim Gorgiam offendes, ſi
cius arti vtilitatis laudē præſtantiámq; cōcedas: ei
verò quam ipſe modò narraui, facultati veritatis
præcellentiā tribuas, quemadmodū ſuprà de albo
dixerā, quod licet paruū, ſi tamē purum eſſet, mul-
to impuroq; ſecundū veritatis exceſſum prę́ſtaret.

Determinatio duarum artium, quarum alterutra videtur aliis præcellere.

Et nunc quidē adhibita vehemēti meditatione, &
ſatis cōmoda diſputatione cōfecta, ne reſpiciamus
in vlla diſciplinarū vel commēdationes vel cōmo
da: ſed ſi qua ex natura ſuauis animi veritatis eſt
amās, eiúſq; gratia cuncta peragit, hāc dicamus pu-
ritate mētis & ſapiētiæ perſcrutari, conſiderandā à
diſſerendi ne ſciētia maximè, an ab alia potius hac
præſtantiore acquiri videatur. PROT. Conſidero
equidē, concedóq; difficilè inueniri poſſe aliam vel
artē vel ſcientiā quæ ſibi magis vindicet veritatē.
SOC. Nunquid tale quiddā cogitās, hæc modò di-
xiſti?q, videlicet artes multæ, & quęcūq; circa hæc
verſantur, primò quidem opinionibus vtuntur, &
quæ circa opiniones cōſiſtunt, ex inſtituto perqui-
runt: ſiue etiā quę ad naturā ſpectāt, indagāda quis
putet, puta quę circa mundum ſunt, quō videlicet
factus ſit, quomodo patiatur, quomodo agat ꝑ oēm
vitā ſcrutatur. fatemur hæc, an non? PROT. Vtiq;.
SOC. Nec circa ea quæ ſemꝑ exiſtūt, ſed quæ ſunt,
erúntq; & fuerūt, hic verſatur. PROT. Vera loque-
ris. SOC. Num ex iis quæ nunquā aut in prę́terito,
aut futuro, aut præſenti eodē modo ſe habēt, aliqd
exactiſſima veritate perſpicuū eſſe dicemus? PRO.
Non licet. SOCR. Etenim in iis quæ nullā prorſus
ſtabilitatē habent, quo pacto nos ſtabile quicquam
aſſequeremur? PRO. Nulla vt arbitror ratiōe. SOC.
Neq; mens igitur, neq; ſciētia vlla circa iſta eſt, ve-
ritatē ſupremā habens. PROT. Cōſentaneū. SOC.
Te igitur & me, & Gorgiā, atq; Philebū valere ſi-
namus: hoc autē ratione nunc aſſeramus. PROT.
Quid iſtud? SOC. Quòd illa nobis facultas firmita-
tem, puritatē, veritatē, ſynceritatē cōtinet, quæ cir-
ca ea quæ ſemper eodē modo & ſimpliciſſima ſunt,
ſtudet, aut quod ſecūdo loco quamaximè illis pro-
ximū. Reliqua omnia ſecūda & poſteriora dicēda.
PROT. Vera nimiū. SOC. Atqui illa nomina quæ
circa talia quædā pulcherrima omniū ſunt, an non
rebus, quoq; pulcherrimis aſſignanda? PROT. Par
eſt. SOC. Mens & ſapientia nomina ſunt omnium
pretioſiſſima. PROT. Sunt. SOC. Hæc igitur intel-
ligentiis eius quod verè eſt exactiſſima ratione ꝑfe
cta atq; tributa rectè vtiq; accōmodantur. PROT.
Prorſus. SO. At quæ ipſe in iudiciū ſuprà produxi,
nō alia ſunt quàm hęc nomina. PRO. Haud alia. SO.
Cæterū ſi quis mixtionē voluptatis & ſapientiæ no
bis velut opificibus propoſitū dicat, vt quæramus
ex quibus & in quib. conſletur, rectè coniiciet arbi-
tror. PRO. Et maximè quidē. SOC. Itaq; deinceps miſ
cere conandū. PRO. Conandum planè. SOC. Nónne
hæc priùs dicere, & in memoriā reuocare præſta-
bit? PRO. Quæ? SOC. Quæ & antea membrauimus:
præclarū nempe prouerbiū illud quo dicitur, quæ
pulchra ſunt, & bis & ter repetēda eſſe. PRO. Quid-
ni? SOC. Age igitur per Iouē. ſic enim exiſtimo ſu-
periora dicta fuiſſe. PROT. Quomodo? SOC. Phile-
bus voluptatē inquit finē rectū cunctis animalibus
eſſe, omniáq; ad eam intēdere oportere, atq; id bo-
num ipſum vniuerſis exiſtere: præterea duo hæc
nomina bonum & iucundū eidem naturę cōgrue-
re. Socrates autē primū id minimè eſſe inquit: vtq;

Prouerbium.

duo nomina ſunt, bonū atq; iucundū, duas etiā di-
ferētes eſſe naturas. Quinetiā ſapiētiā magis quàm
voluptatem boni participē eſſe. Nónne hæc, ô Pro-
tarche, ſunt quæ dicebātur? PROT. Maximè. SOC.
Hoc quoq; & tunc & in præſentia nónne confiten-
dum erit? PROT. Quale? SOC. Ipſius boni naturam
hoc præcipuè ab aliis diſcrepare. PROT. Quonā?
SOC. Cuicunq; hoc adeſt ex viuentibus ſemper &
omnino & vndique, id nullo alio indiget, perfe-
ctáq; ſufficientiā cōtinet. itáne? PROT. Ita prorſus.

Quo boni natura ab aliis diſcrepet.

SOC. An nō ratione ipſa conati ſumus alterū ab al-
tero ſeparātes, voluptatē à ſapientia, ſapiētiā à vo-
luptate, ſic vt altera alterius ne minimū quidē par-
ticipet, ſic in vitā cuiuſq; reſpicere? PROT. Certè.
SOC. Viſúmne tunc alterutrū ex his ſufficiens eſſe?
PROT. Et cui videatur? SOC. Quòd ſi quis fortè tūc
prætereuectus eſt, nunc reſumēs rectius aſſeueret: &
cum memoriā, ſcientiam, ſapientiā, verā opinionē
eiuſdem ideæ ponat, cōſideret vtrùm abſq; his ali-
quis, vel ſe, vel alium aut eſſe quicquam, aut quic-
quam fieri exoptet, nedum vt voluptatem ſeu plu-
rimā ſeu vehementiſſimam ſine iis eligere debeat.
Siquidem his priuatus neq; reuera gaudere ſe opi-
nabitur, neq; qua cōditione affectus ſit, vllo modo
noſcet, neq; affectus ipſius memoriā per tēpus ali-
quod reſeruabit. Eadē quoque de ſapientia dicas.
Num quiſpiā procul ab omni etiam minima volu-
ptate ſapientiā adipiſci, quàm cū voluptatibus qui-
buſdā malit, aut voluptates oēs ſine ſapiētia potius
quàm cū ſapientia quadā? PROT. Nullus, ô Socra-
tes. Veruntamē nihil opus eſt hæc ſæpius percōta-
ri. SOC. Quapropter horum neutrum perfectum, &
omnibus expetendū, ac penitus bonū. PROT. Neu
trum. SOC. Aut igitur bonum ipſum perſpicuè, aut
figurā eius aliquam ſumere decet, vt quemadmo-
dum diximus, cui potiſſimū ſecūdæ partes tribuen
dæ ſint, videamus. PROT. Scitè admodum loque-
ris. SOC. An non ſemitam ad bonum ipſum quan-
dam ingreſſi ſumus? PROT. Quam? SOC. Si quis ho-
minem aliquem quærens, domumquam inhabitat,
primū cognorit, adminiculū ſanè ad eum inueniē-
dum ingens habebit. PROT. Quidni? SOC. Ita &
nos prę́ſens atq; ſuperior ratio monuit ne in ſimpli
ci vita, ſed mixta, bonū ipſum indagaremus. PRO.
Omnino. SOC. At ſpes certior, in eo quod pulchrè
mixtū, quàm in oppoſito nos quod quærimus re-
perturos. PROT. Certior ſanè. SOC. Miſceamus igi
tur, ô Protarche, diis antè vouētes, ſiue Dionyſius,
ſiue Vulcanus, ſiue alius quiſpiam deorum ſorti-
tus eſt mixtionis officiū. PROT. Ita prorſus agen-
dum. SOC. Atqui nobis tanquam vinum miſcenti-
bus quibuſdam, fontes adſtant. Et melli quidē vo-
luptatis fontem cōparare quis poteſt: verū ſapien-
tiæ fontem ſobrium & vini expertē aquæ cuipiam
acri, atque etiam ſaluberrimæ. Hos ergo liquores
quàm pulcherrimè in vnū confundere ſtudeamus.
PROT. Studendū certè. SOC. Dic age primùm: ſi o-
mnem voluptatē cum omni ſapientia miſceamus,
num pulchrè iunxerimus? PROT. Forſitan. SOC.
Verū minimè tutū. Quo tamen pacto ſecurius mi-
ſceamus, me nūc declaraturū confido. PROT. Dic
quomodo. SOC. Patuítne in ſuperioribus aliam vo
luptatem alia, rurſusque ſcientiam aliam alia ſyn-
ceriorem eſſe? PROT. Patuit planè. SOC. Scientia
quoque à ſcientia differens, & altera quidem circa
illa quæ oriuntur & occidunt, altera circa ea quæ
neque fiunt, neq; intereunt, ſempérque ſecundum
eadem

Dionyſio & Vulcano eſt dedita mixtio.

eadem eodem modo ſe habent. Atque hanc ad ve-
ritatem ipſam reſpicientes, illa veriorem eſſe puta-
mus. PR. Rectè admodum. SO. Si vtriuſq; portiones
veriſſimas inuicem primum cōmiſceamus, nūquid
iſtarū mixtio ſufficiens erit ad vitā nobis optabiliſſi
mam exhibēdam? aut alio præterea quodam & non
talibus egebimus? PRO. Mihi quidem videtur ſic a-
gendum. SO. Eſto igitur nobis vir quidā ſapiens qui
norit quid ipſa iuſtitia ſit, rationémque intelligētiæ
comitem habeat, nec nō reliqua cuncta quęcunque
ſunt ſimiliter calleat. PR. Eſto ſanè. SO. Num hic ſuf-
ficienti ſcientia præditus erit, ſi circuli & ſphęræ ip-
ſius diuinæ rationē teneat, humanā verò hanc ſphę-
rā & hos circulos prorſus ignoret, dum in archite-
ctura ſimilibúſq; operibus canonib. id eſt, regulis cir
culíſq; vtetur? PR. Ridicula erit, ô Socrates, cognitio
noſtra, ſi in diuinis duntaxat verſetur. SO. Quid ais?
num falſi cononis atq; circuli impuram & inſtabi-
lem artem in cōmune inſerere & immiſcere debe-
mus? PR. Neceſſariū hoc eſt, ſi modò quis noſtrûm
vel viam quæ ducat domum reperturus ſit. SO. An
verò & muſicā, quam paulò antè diximus coniectu
ris imitationéq; plenā, à puritate procul abeſſe? PR.
Neceſſariū id quoque, ſi quidē vita noſtra, aliquan-
do vita futura ſit. SO. Vis ergo tāquam ianitor à tur-
ba pulſus atque coactus, ego nunc ſuperatus fores
pandā, ſcientiáſque omnes confluere iam & cōfun-
di ſinam, cum pura paſſim deteriorē? PR. Haud ſcio,
ô Socrates, num quis à ſcientiis aliis lędatur, qui pri-
mas habet. SO. Permitto iam cunctas in Homericæ
mixtionis velut cōuallem quandam, eámque valde
poëticam confluere. PR. Fluant. SO. Rurſus ad volu-
ptatū fontem proficiſcendum videtur: quādo enim
ipſas miſcere cogitauimus, partes veras primùm, id
nobis datum nō eſt, ſed quia omnem ſcientiam am-
plectebamur, in idem concurrere ipſas aceruatim
permiſimus, & prius quàm voluptates. PR. Vera lo-
queris. SO. Eſt igitur tempus, vt de voluptatib. etiam
conſultemus, vtrū & ipſæ aceruatim omnes, an pri-
mæ duntaxat, ac verę ſint admittendæ. PR. Permul-
tū ad ſecuritatem intereſt primas veráſq; admitte-
re. SO. Harum ergo cōmercium admittatur. At quid
deinceps? ſi quæ neceſſariæ ſunt, num quemadmo-
dum & iſtic, hę quoq; in mixtionē ſunt accipiendę?
PR. Quid probibet? Neceſſarias videlicet. SO. Si aūt
quēadmodum artes omnes noſſe innocuum & vtile
in vita eſſe conſtitit, ita nunc de voluptatib. conſtet.
videlicet quòd omnib. frui innoxium & vtile ſit, for
tè erunt omnes omnib. immiſcendæ, quid ad hæc?
PR. Qua ratione de his loquemur? & quomodo age
mus? SO. Non à nobis Protarche tale aliquid, ſed ab
ipſis voluptatib. & ſcientiis quærendum. PR. Quid
iſtud? SO. O amicę (ſiue voluptates, ſiue alio quodam
nomine appellare vos deceat) vtrum eligitis cum o-
mni ſapientia congredi, an eſſe ſeorſum à ſapientia?
Reor equidē hoc illas neceſſariò reſponſuras. prot.
Quid? SO. Quòd quemadmodum in ſuperiorib. di-
ctum eſt, nec poſſibile, neq; vtile eſt genus aliquod
purum, ſeorſum, ſolitariúmque eſſe. Omnium verò
generum optimum, ſi vnum vni cohabitet, nobis
fore putamus genus ipſum, quorū cætera omnia, tū
etiam ſingulæ noſtræ vires perfectè noſcūtur. prot.
Et rectè quidem reſpondiſſe illas meritò confitebi-
mur. SO. Reſtat vt mentem & ſapientiam rogemus,
cùm ipſa mixtione quodammodo voluptatibus e-
gere dicamus, qualib. præcipuè voluptatib. egeant.
prot. Meritò. SOC. Noſtra verò poſthac interrogatio

Nemo læditur à ſcientiis cæteris qui tenet primas.

talis erit, vtrum præter illas veras voluptates vobis
opus eſt vehementiſſima maximarúmque volupta
tum commercio: Fortè ſic illæ reſpōdebunt: Et quo
pacto, ô Socrates? Hæc nāq; impedimenta nobis in-
numerabilia præbēt. Animas ſiquidem quas incoli-
mus, voluptates furioſæ perturbant, nec adoleſcere
nos permittunt, noſtráſque progenies vt plurimum
per negligentiam obliuione illata omnino corrum-
punt. Alias autē voluptates veras ac puras quas ipſe
narraſti, fermè nobis domeſticas arbitrare: ac prę́ter
iſtas, illas inſuper, quæ cum ſanitate & temperantia
cæteríſque virtutib. capiūtur. Has enim quæ virtutis
tanquā deę cuiuſdā pediſequę ſunt, libenter admit-
timus. Quę verò cum dementia, & alia improbitate
congrediuntur, eas menti miſcere abſurdum eſt, ſi
quiſquā pulcherrimam illam cernens concordémq;
mixtionē atque tēperiem, in ea perdiſcere quid &
in homine & in vniuerſo ſuapte natura bonum ſit,
quæve ipſius idea exiſtat, diuinare velit. An non ſa-
pienter & tanquā ſui compotem mētem hæc, & de
ſeipſa, & de memoria, rectáq; opinione reſpondere
dicemus? prot. Omnino quidem. so. Atqui & hoc
neceſſarium eſt, nec vnquā aliter fieri poſſet. prot.
Quid iſtud? so. Cui veritatem non miſcemus, nun-
quam id verum aut fieret, aut factū eſſet. prot. Quo
enim modo? so. Nullo. verum ſiquid huic mixtioni
vlterius deeſt, dicite tu & Philebus. Mihi enim tan-
quam mundus quidam incorporeus animato cor-
pori pulchrè dominaturus ſermo hic peractus fuiſſe
videtur. prot. Mihi quoque, ô Socrates, idem videri
ſcito. SOC. Nónne ſi boni ipſius ac talis quidem ve-
ſtibulum ædium nos nuper ingreſſos eſſe dicamus,
forſitan rectè quodam modo profitebimur? prot.
Mihi ſanè videtur. SOC. Quid igitur in huiuſmodi
mixtione pretioſiſſimum, maximéq; cur conſtitu-
tio hæc omnib. gratiſſima ſit, nobis in cauſa eſſe vi-
detur? Si enim id nouerimus, mox perpendemus vo
luptatine an menti cognatum magis propiúſque in
vniuerſo conſiſtat. prot. Scitè. Id enim ad diſcepta-
tionem noſtram maximè conferet. SOC. Atqui ne-
quaquam inuētu difficile eſt, quæ cauſa ſit, ob quam
mixtio quęque vel plurimi vel minimi facienda ſit.
protar. Quo pacto inquis? SOC. Nullus hoc homi-
num ignorat. prot. Quid hoc tandem? SOC. Quòd
quæcunq; & qualiſcunque mixtio expers vel men-
ſuræ eſt, vel naturæ commenſurati, neceſſariò om-
nia quę mixta ſunt, ſed & ſeipſam primò perdit. Ne-
que enim temperies hęc eſt, ſed quædam intēpera-
ta cōgeſtas verè talis ſit, plerunq; iis qui re vera eam
poſſident calamitas. prot. Vera loqueris. so. Nunc
quidem nos ipſius boni potentia in naturam pul-
chri ſe transferens clàm fugit. Moderatio enim cō-
menſuratióque, pulchritudo planè ac virtus vbique
fit. prot. Prorſus. SOC. Quinetiam veritatem dixi-
mus ipſis in ea temperie cōmiſceri. prot. Omnino.
so. Quòd ſi bonum ipſum vna idea conſequi non li-
cet, ſaltem vnà cum trib. pulchritudine, commenſu
ratione, veritate cōprehendentes, dicamus id vni-
uerſum velut vnū, cauſam eorum quæ in mixtione
ſunt eſſe, & propter hoc, vtputa quod bonū ſit, mix-
tionem fieri talem. prot. Rectè nimium. so. Vnuſ-
quiſque iam, ô Protarche, facilè arbitror de ſapiētia
& voluptate iudicarit, vtra earum optimo iſti cogna
tior, & præſtans magis, & apud homines, & apud
Deos eſſe cōtingat. prot. Conſtat quidem: attamen
ratione id quoque dicēdo percurrere præſtabit. so.
Secundum quodlibet igitur horum trium, de volu-

Quæ voluptates ſapiētiæ propriæ ſint, quæ alienæ.

Pulchritudo

ptate & ſapientia iudicemus. Videndũ enim vtri vnumquodq; trium cognatius aſſeramus. prot. Num de pulchritudine, veritate menſuráque loqueris? so. Certè. primùm igitur veritatem ſume Protarche, cúmque ſumpſeris, ad tria iam reſpice, mentem, veritatem, & voluptatem: & poſtquã diu maturè conſideraueris, tibi ipſi reſponde, vtrum voluptas, an mẽs veritati propinquior. prot. Quid diuturna meditatione opus eſt? Permultum vt arbitror intereſt. Voluptas enim maximè omnium temeraria. Fertur enim de venereis voluptatib. quę ingentiſſimę omnium æſtimantur, quòd peierantib. illis, dij prorſus ignoſcunt, quaſi pueri quidam voluptates ſint, nullius intelligẽtiæ compotes. Mẽs autem, aut idem eſt quod veritas, aut omnium certè ſimilima atq; veriſſima. so. An poſthac menſurã illam moderationẽmque conſiderãdum reſtat, voluptáſne an ſapientia eius ſit capacior? prot. Id quoque quod nunc infers, exploratu parfacile eſt. Reor equidem nihil voluptate, eiúſque exultatione immoderatius inueniri poſſe: nihil cõtrà, mente & ſcientia moderatius. so. Pręclarè, verũtamen tertium quoque reſponde. Mẽnſne pulchritudinis magis eſt particeps, an ipſa voluptas? quídve pulchrius? an mens voluptate, an cõtrà? prot. Mentẽ quidem & ſapientiam, ô Socrates, nemo vnquã aut reuera aut falsò deformem vel vidit, vel aliquo pacto cogitauit, aut fuiſſe vnquã, aut eſſe, aut deinde futuram. so. Rectè. prot. Si quem verò voluptatib. pręſertim maximis fruentẽ aduertimus, vel quòd ridiculæ, vel quòd obſcœnæ ſint, ipſi quidem erubeſcimus, atque celamus, noctis tenebris talia committentes, quaſi ſint diurni luminis indigna cõſpectu. so. Cũctis igitur, ô Protarche, & per nuncios & voce pręſenti declarato, quòd voluptatis poſſeſſio neque primũ eſt, neque ſecũdum bonum. Sed primum circa menſurã & moderatum, & opportunũ & quæcunque talia ſempiternam quandã naturã ſortita eſſe putare decet. prot. Apparet vtique ex iis quæ modò ſunt dicta. so. Secundum deinde circa cõmenſuratum, & pulchrum, perfectũ atque ſufficiens, & quotcũque huius generis ſunt. prot. Videtur. so. Tertium, vt ipſe vaticinor, ſi mentem ſapientiámque poſueris, haud procul à veritate diſcedes. prot. Fortè. so. Quarta verò ſunt quæ ipſius animæ propria poſuimus, ſcientiæ & artes opinionẽſque rectæ, quæ ideò tribus illis ſtatim ſuccedũt, quia bono ſunt quàm voluptas cognatiora. prot. Forſitan. so. Quinto loco pone voluptates eas, quas expertes moleſtiæ definimus, quas puras nominabamus animæ ipſius ſcientias, ſenſus autem ſequentes. prot. Fortaſſis. soc. In ſexta verò progenie, inquit Orpheus, cantilenæ ornatum finite. Noſtra quoque oratio in ſexto iudicio finiri videtur. vnde nihil deinceps nobis aliud reſtat, niſi vt dictis tãquam caput adhibeamus. prot. Decet profectò. so. Tertio iam orationem eandem conſeruatorem deum cõteſtati breuiter percurramus. prot. Qualem inquis? soc. Philebus quidem inquit, omnẽ penitus voluptatem nobis ipſum bonum eſſe. prot. Tertio, ô Socrates, quẽadmodum videtur: dicebas paulò antè repetendam orationem eſſe. soc. Hoc ipſum quod autem ſequitur audiamus. Equidẽ quod modò dixi, orationem Philebi aliorũmque innumerabilium cõſiderans grauitérque ferens, mentem longè meliorem potiorẽmque hominum vitæ quàm voluptatẽ contendi eſſe. prot. Dicta hæc ſunt. so. Suſpicatus tamen eſſe & alia multa intuli, quod ſi apparuerit aliquid ambobus hiſce pręſtantius, pro mente ipſa aduerſus voluptatem de ſecunda ſorte pugnarem voluptáſque ſecundis etiam honorib. ſpoliaretur. pro. Hæc quoque dixiſti. soc. Præterea cùm dixiſſem bonum ipſum eſſe omnium ſufficientiſſimum, neutrum ex iis tamen ſufficiens eſſe conſtitit. prot. Vera narras. soc. Et cum in ea oratione nec mens nec voluptas ſibiipſi ſufficientem perfectámque vim habere viderentur, neutram eſſe bonam ipſum apparuit. prot. Rectè admodum. so. Quinetiam cùm tertium quiddam vtraque melius eſſe conſtaret, mẽs vtique longo quodam interuallo propinquior potiori ſuperantiq; ideæ quàm voluptas eluxit. pro. Quidni? soc. Ergo nónne quintum gradum ex ea ſententia quam pręſens iudicium protulit, voluptatis potentia ſortiretur? prot. Videtur. soc. Primùm tamen voluptati locum omnes boues darent, & equi, & feræ denique omnes: quibus plurimi fidem, haud ſecus quàm augures auibus, habentes, voluptates ad bene viuendum potiſſimas omnium arbitrantur: ferarúmque amores, locupletiores teſtes aſſerunt, quàm tot reſponſa philoſophorum. prot. Veriſſima, ô Socrates, te narraſſe cuncti fatemur. soc. Nónne ergo me iam dimittitis? prot. Exiguum adhuc quiddam reſtat, ô Socrates: neque enim prius tu quidem diſcedes: ego verò quæ reſtant, in memoriam tibi reducam.

Mens aut eſt ipſa veritas, aut ſimilima

Bonorum diſtinctio.

PLATONIS HIPPIAS MAIOR, VEL, DE PVLCHRO.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

DE pulchro, in Phædro, Sympoſio, et Hippia diſputatur. In Hippia, quia Socrates agit aduerſus Hippiam ſophiſtam, qui cùm ignoraret, ſe ſcire putabat, quæ ignorantia animum reddit indocilem, quid pulchrum ſit non ſatis docet, ſed quid non ſit oſtendit, et opiniones falſas redarguit. Sophiſtam vocat eum qui ſe ſapientem videri magis quàm eſſe ſtudet, pecuniarum honoriſq; gratia. Talẽ vero Hippiã eſſe in proœmio declaratur, et in fine proœmij. Sũpta occaſione ab oratione quadam Hippiæ quæ de pulchris officiis diſſerebat, interrogat Socrates quid ipſum per ſe pulchrum quo reliqua omnia pulchra fiunt. Oportet enim particularia ad vniuerſale quod in particularib. & vniuerſale quod in particularib. ad ipſum quod ſupra ſingula eſt vniuerſale referre. Nã ſinguli homines pulchri, per formam quandam ſingulis communem pulchri reddũtur: forma verò communis pluribus à diuina ſpecie velut à ſigillo character imprimitur: quoniam omnis multitudo ad vnũ quod in multitudine, et vnũ quod in multitudine ad vnum quod ſupra multitudinem eſt, reducitur. Quare cùm multa ſint pulchra, oportet ſingula per pulchritudinem communem omnib. & omnib. inſitam eſſe pulchra: & pulchritudinem quæ in omnib. eſt, ſicut in alio eſt, non in ſeipſa, ſic ab alio, nõ à ſeipſa pendere. Vnum quodque è ſingulis pulchris, pulchrum hoc Plato vocat: formam in omnib. pulchritudinem: ſpeciem et ideam ſupra omnia, ipſum pulchrum. Primum ſenſus attingit opinioq;. Secundum ratio cogitat. Tertium mens intuetur. Interrogatus Hippias, ter ſecundum ſenſum opinionem definit. Quib. cõfutatis, Socrates ter quoque definit. Bis quidem ſecundum rationem, poſtremò ſecundũ mentem. Sophiſta enim ſenſu opinioneq; incedit, philoſophus ratione potius, atque mẽte. In primis Hippias pulchram virginem ipſum pulchrum eſſe reſpondet. Quod eſſe falſum ex eo conſtat, quod non omnia quæ pulchra ſunt, per virginem pulchra fiunt. Et virgo ſi cum brutis cõparetur, pulchra: ſi cum diis, deformis apparet. Quare non magis pulchra quàm turpis eſſe videtur. Tum Hippias aliud quiddam ſimiliter è ſingulis pulchris, non cõmune reſpondẽt. Aurum quippe ipſum pulchrum, quo omnia pulchra fiunt. Quod ea ratione reſpuit Socrates, quoniam aurum quibuſcunq; conuenit, pulchra illa facit: alia verò deformat. Ergo non ſimpliciter pulchra facit, ſed cùm decet. Quocirca non ſui magis quàm alterius ratione res ornat. nec aurum ſolum eſt, quo cuncta ornantur, ſed argentum quoque & ebur, cæteráque huiuſmodi. Tertio loco aliud quiddam infert, quod etiam proprium eſt potius quàm commune: Pulchrum, inquit, corpore bene valere, diuitem eſſe & honoratum, ſenem mori, ſepeliri à filiis, ſepeliſſe parentes. Falſum hoc eſſe patet, quia non res omnes præter hominem hoc ipſo pulchræ reddũtur. præterea hoc inter homines fortè pulchrum: inter deos deorumq; filios turpe, vbi parentes non moriuntur. His redargutis quæ circa ſingula corporea per ſenſum & opinionem Hippias adducebat, Socrates iam ad altiora tendens, non quod ſenſus opinioni, ſed quid opinioni ratio porrigit infert. Primo enim decorum pulchrum dicit. Quod quidem incorporeum eſt magis, pluribuſq; commune. Id tamen hac diuiſione refellit. Decorum aut videri ſolum pulchro, aut tam videri quàm eſſe præſtat. Si primum, deceptio quædam circa pulchrum, potius quàm ipſum pulchrum, decorum exiſtit. Vera enim pulchritudo pulchra eſſe facit, quemadmodum vera magnitudo, magna, etiam ſi non videantur. Si ſecundum dixeris, falsò dixeris. Nam ſi ipſum pulchrum quoties eſſe dat pulchra, videri quoque pariter largiretur, quæcunque pulchra ſunt, vt ſunt, ita omnibus apparent. Id eſſe falſum, contentiones de rebus pulchris & controuerſiæ nobis oſtendunt. Secundò aliud quiddam etiam, quod ratio opinioni offert, adducit. Vtile porrò pulchrum vocat. Vtilitas incorporeum quiddam multiſq; commune. Nec mirum eſt, cogitationem circa decens & vtile decipi. Illud quippe ordinem partis ad partem, partiumq; ad totum, hoc autem ordinem totius cuiuſdam ad totum aliud habet, ordo verò pulchritudinem repræſentare videtur. Quapropter decens vel vtile, facilè quis pro pulchro accipit. Quod decens pulchrum non ſit, conſtituit: quòd nec vtile, ſic oſtendit. Vtile eſt quod potentiam ad aliquid faciendum habet. Potentia igitur & vtilitas idem. Quicquid agimus potentia quadam agimus, ſed mala vt plurimùm facimus, potentia itaque & vtilitas malum vt plurimùm inferunt, pulchrum autem nunquam mali cauſa. Ergo non ſimpliciter quæcunque vtilitas pulchrum. At ſaltem quæ ad bonum confert, reſpondebit quiſpiam: aduerſus quem ſic argumentatur: Quod ad bonum tendit, conducibile: Conducibile bonum efficit: quod aliquid efficit, aliud eſt quàm id quod efficitur: quapropter aliud conducibile, aliud bonum. Conducibile, & pulchrum, idem. Ergo pulchrum & bonum aliud. Neque pulchrum igitur bonum, neque bonum pulchrum, quod prorſus abſurdum. Tandem ſenſus opinionis, cogitationiſque conuictis erroribus mens rationi dictat, pulchrum eſſe gratiam quandam, quæ animam per mentem, viſum & auditum mouet & allicit. Quod ſanè partim ex huius dialogi calce, partim ex Phædro & Sympoſio Platonis elicitur. Quæ ratione gratia hæc inſit, & quo nomine nuncupanda, inquirit Socrates, nec tamen ambitioſo ſophiſtæ delarat, quæ Phædro reuelauit, & Agathoni, qui quamuis ignorarent, ſuam tamen ignorantiam agnoſcentes, dociles erant. Gratia profectò pulchritudo eſt, non ratione ſenſus, quia menti non conueniret, & cæteris ſenſibus æquè vt auditui viſuiq; competeret. Non ratione mentis, quia oculos aureſque effugeret. Non voluptatis etiam ratione, quia hæc non in auditu & viſu duntaxat, ſed in omnibus ſenſibus reperitur. Non ratione auditus ſolum: non enim menti viſuique congrueret. Non ratione viſus: Auditui namque mentique deeſſet. Non ratione auditus viſúſque ſimul, quia in viſu auditúque vnà coniunctis pulchritudo ineſſet: In vnoquoque verò illorum ſeorſum ab altero agente, pulchritudo nulla. Volumus autem gratiam illam tribus animi viribus communiter percipi, tribus quoque obiectis earum ineſſe cõmuniter. Quapropter addit voluptates mentis, viſus, audituſq; ex eo pulchras eſſe, quòd maximè omnium voluptatum innoxiæ ſunt & optimæ. Si optimas idem quod conducibiles intellexeris, redibit ſuperior ambiguitas. Conducibile bonum facit. ergo boni cauſa. Cauſa & effectum aliud. Ergo aliud conducibile, aliud bonum. Quo ſequitur, aliud pulchrum, aliud bonum eſſe. Ideò neque pulchrum bonum, neque bonum pulchrum. Sin autem optimas, id eſt, innoxias, faciles, ſpiritales, lucentes, vitaleſq;, vt ita dixerim, expoſueris, veri compos efficieris. Nam pulchritudo nihil aliud eſt quàm ſummi boni ſplendor, fulgens in iis quæ oculis, auribus, mente percipiuntur, pérque illa ad ipſum bonum, viſum, auditum, mentémque conuertens. Quò fit vt pulchritudo circulus quidam diuinæ lucis exiſtat, à bono manans, in bono reſidens, per bonum & ad bonum ſempiternè reflexus. Hoc Socrates myſterium quod à Diotima ſibylla didiciſſe aſſeruit, non ſophiſtis, ſed diſcipulis reuelauit. Quid ipſum bonũ, ipſum vnum rerum omnium principium, actus purus, actus ſequentia cũcta viuificans. Quid ipſum pulchrũ, Viuificus actus è primo fonte bonorum effluens, Mẽtem primò diuinam ideatũ ordine infinitè decorans, Numina deinde ſequentia mentéſque rationum ſerie complens, Animas tertiò numeroſis diſcurſibus ornans, Naturas quartò ſeminibus, formis quintò materiam. Sol profectò corpora viſibilia & oculos videntes procreat. Oculis, vt videant, lucidum infundit ſpiritum. Corpora vt videantur, coloribus pingit. Neque tamen proprius oculis radius, proprii ne corporibus colores, ad viſionem perficiendam ſufficiunt, niſi lumen ipſum vnum ſupra multa, à quo multa & propria lumina oculis & corporibus diſtributa ſunt, adueniat, illuſtret, excitet, atque roboret. Eodem modo primus ipſe actus, id eſt, Deus ſpeciem actumq; rebus ſingulis producendo largitus eſt. Qui ſanè actus cum in ſubiecto patiente ſuſceptus fuerit, debilis eſt, & ad operis executionem impotens. Sed diuini ſolis perpetua & inuiſibilis lux, vna ſemper omnibus adſtat, fouet, viuificat, excitat, complet & roborat. De quo diuinè Orpheus, Cuncta fouens atque ipſe ferens ſuper omnia ſeſe. Vt eſt actus omnium roboratq;, bonum dicitur. Vt viuificat, lenit, mulcet, & excitat, pulchrum. Vt in obiectis quæ noſcenda ſunt, tres illas cognoſcentis animæ vires allicit, pulchritudo. Vt in cognoſcente potentia eam applicat cognito, veritas. Vt bonum eſt, procreat, regit, & complet. Vt pulchrum, illuminat gratiamq; infundit. Præparata autem eſſe oportet omnia ad gratiam diuini fulgoris excipiendam. Corpora quidem proportione, quæ ordine, modo & ſpecie conſtat. Voces harmonia, quæ numeris internalliſq; conficitur. Officia, morum rectitudine ad finem bonum. Diſciplinas, ordine ad obiectum verum. Animam puritate per auerſionem ab inferis, & conuerſionem ad ſupera. Mentem, per æternum in ipſum bonum, intuitum. Per hæc omnia gradatim diuinæ pulchritudinis radius penetrat. Circa corpus inæqualitate numeroſa refulget, loco motuiq; ſubiecta. Circa voces, in harmonia, extra certum locum, ſed motu diſperſa. Circa officia diſciplinaſq; & animam, in motu quidem, ſed ratione vitali conſiſtens. Circa mentem ſupra motum, in æterna idearum ſerie micans. Circa ipſum bonum, actus purus, vitam & gratiam omnibus inferens. Hæc precor, Petre Medices, vir omnium præclariſſime, ſolita diligentia legas. Nam & tuæ mentis miram pulchritudinem prorſus agnoſces, & quam proximè ad ipſum pulchrum, de quo hic diſputatur, accedas, animaduertes.

SOCRATES, HIPPIAS.

O Sapiens & pulcher Hippia, quàm longo interuallo Athenas veniſti! HIPPIAS. Non datur, ô Socrates, otium. Nam Elienſes ciues quoties cum ciuitate quapiam aliquid eſt tractandum, mihi præ cæteris legationes committunt, idoneum me iudicem, ac nuncium exiſtimantes eorum quæ apud ſingulas ciuitates dicuntur. Quamobrem ſæpe & ad alias vrbes, ſæpius etiam & de maximis rebus Lacedæmonem legatus acceſſi. Quo fit vt hæc loca, quod ipſe quærebas minus frequentem. SOCRA. Hoc certè, ô Hippia, ſapientis perfectique viri proprium eſt. Tu quidem cùm priuatim, multa ab adoleſcentibus, accepta pecunia, plus quàm conferre illis quàm quæ acceperis, vales: tum publicè patriæ tuæ prodeſſe, vt decet eum, qui non contemnendus vulgo, ſed ſummo in pretio ſit habendus. Cæterùm, quænam, ô Hippia, cauſa, quòd priſci illi qui ſapientum magnum cognomen adepti ſunt, Pittacus atque Bias, & qui Thaletis Mileſij tempore, quíue deinceps vſque ad Anaxagoram ſapientiæ ſtudio floruerunt, vel omnes vel plurimi ciuilibus rebus abſtinuere? HIP. Quid aliud putas, ô Socrates, quàm imbecillitatem ingenij, cùm non poſſent vtraque priuata & publica prudenter adminiſtrare? SOC. An verò putas quemadmodum cæteræ artes incrementum tempore ſuſceperunt, adeò vt noſtri temporis artifices ſuperioribus longè præcellant, ita & facultatem veſtram, ſtudium vide-

Occaſio dialogi cũ prouocatione & tentatione erga ſophiſtam.

Sapientes priſcos ciuilibus actionibus abſtinuiſſe.